DE

HISTORIA FABVLARI

IN

COMOEDIIS PLAVTINIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM SCRIPSIT

ATQVE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

VNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XII. MENSIS MAI ANNI MDCCCLXXXIV

Hora XI.

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

FRIDERICVS OSTERMAYER

NORINBERGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

GEORGIVS KLINKE, CAND. PHIL.

FRIDERICVS SPIRO, CAND. PHIL.

ROBERTVS HOLSTEN, CAND. PHIL.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXXIV.

DE

HISTORIA FABVLARI

IN

COMOEDIIS PLAVTINIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM SCRIPSIT

ATQVE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

VNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XII. MENSIS MAI ANNI MDCCCLXXXIV

Hora XI.

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

Friedrich (Wilhelm Jakob)

FRIDERICVS OSTERMAYER

NORINBERGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

GEORGIVS KLINKE, CAND. PHIL.

FRIDERICVS SPIRO, CAND. PHIL.

ROBERTVS HOLSTEN, CAND. PHIL.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXXIV.

EDMVNDO GOETZE

PRO PIO AMORE

ΑΝΤΙΔΩΡΟΝ.

Quomodo Plautus comoediarum poeta Romanus Graecae quae vocatur novae comoediae fabulas, quas se secutum esse ipse professus est, imitatus sit, usque ad nostram aetatem est lis inter viros doctos. Jam priore huius saeculi parte Koepke [1]) testimoniis veterum criticorum neglectis sine critica ratione, ut Ritschelii verbis utar, statuit, Plauti comoedias quamquam in rebus et privatis et publicis magis Graeci essent coloris quam Romani, tamen ita confectas esse, ut omitteretur id quod perspici non posset a Romanis, ut contra insereretur id quod delectaret eos qui audirent. Quam opinionem partim excipit Ritschelius, cum in parergon tractatione confirmet Plautum non verbum de verbo expressum extulisse, sed summa licentia usum esse in vertendo Graecas fabulas, atque hoc iam inde apparere quod ille semper usurpaverit titulos Latinos neque umquam ut Terentius Graeca nomina vel vocabula fabulis praeposuerit [2]); in quam sententiam etiam multi alii viri docti [3]) adducti sunt. Neque vero desunt qui pro certo affirment Plautum vestigia Graecae comoediae ita pressisse, ut etiam nos nonnullis fragmentis novae

---

1) cf. Koepki dissertat.: Ueber die den Originalen nachgebildeten röm. Lustspiele. Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1835 p. 1226 sqq.

2) cf. parerg. pg. 145 adnotat., pg. 277 sqq., Ribbeck. libr. de Fried. Ritschelii vita II pg. 105, Becker. vindiciae comoediae Romanae; cf. Ladewig. de Volcatii Sedigiti canone, progr. Neostrelitz. 1842.

3) ut alios omittam, de Bagnato in programmate Ehingiensi anni 1878 de hac re egit: Plautus in seinem Verhältniss zu seinen griech. Originalen.

comoediae proditis memoriae hoc intellegere possimus. Quo in numero imprimis Adolfus Kiesslingius praeceptor humanissimus nominandus est, qui ut ordo philosophorum almae litterarum universitatis Gryphiswaldensis commilitonibus proponeret quaestionem, qua examinaretur, quid in Plauti comoediis ad Romanorum mores, quid ad Graecorum instituta referendum esset, vere anni 1880 perfecit, quam ad quaestionem instituendam commilitones praemio posito vocati sunt. Quoniam tum ad hanc rem aggressus ex eo tempore ea totus occupatus sum, hoc intellexisse mihi videor, illos viros non plane recte judicasse, quamvis tantum absit ut iudicia illorum spernendo contemnam, ut contra libenter concedam me primo maluisse in eorum castra transire. Sed quamquam negare nequimus contaminatione, qua usum esse Plautum ex prologis Terentianis accipimus, effectum esse, ut poeta verbum de verbo expressum efferre non posset, neque nos fugit Plautum ea re, quod λέξιν bene tractavit, non arcte coniunctum esse cum Graecis exemplaribus, tamen ab animo impetrare non possum, ut infitier summam familiaritatem inveniri inter Plautum et poetas Graecos, quod illi negaverunt, cum eam viam ingrederentur, ut statuerent Plautum summa licentia usum res Romanas Graecis fabulis inseruisse. Atque ut aliud flumen ducem me sequentem ad litora pervenire posse censerem, hisce causis permotus sum. Primum quidem Kiesslingius me docuit ex prologo Terentianae Eunuchi fructum quendam abundare in nostram disquisitionem, nam cum ibi legamus eos qui Terentio inviderent, dixisse illum furem, non poetam esse, illam enim fabulam Naevium et Plautum fecisse, apparet Terentium et Plautum eandem fabulam conscripsisse; atque quandoquidem illud Terentii cum Plauto componitur atque comparatur, et inter omnes constat Terentium stricte Graecos secutum esse, colligi mea quidem sententia potest, Plautum cum Terentio collatum item non valde declinasse a Graecarum fabularum fide. Quam suspicionem aliis rebus firmare et probare possumus, nam si in Aululariae vers. 715 Euclio a spectatoribus petit, ut sibi furem demonstrent, talibus verbis:

obsecro vos ego, mi auxilio,
oro obtestor, sitis et hominem demonstretis qui eam abstulerit.
quid est? quid ridetis? novi omnes: scio fures esse hic complures
qui vestitu et creta occultant sese atque sedent quasi sint frugi [1]):

hoc propterea pendere videtur e Graeca fabula, quod in ea, si quidem fides tribuenda est Aristophani, spectatores plus quam semel appellabantur. Praeterea autem non ignoramus Plauti aetate nullum hominem sedentem spectaculis adfuisse; ergo haec res aut interpolata aut a Plauto ex Graeco exemplari translata neque ullo modo mutata est. Quam sententiam habere in se aliquid veri, unus quisque concedet qui in memoriam revocaverit Athenis spectatores sedere atque Aristophanem ranarum fabulae versu 297:

ἱερεῦ, διαφύλαξόν μ', ἵν' ὦ σοι ξυμπότης, respicere sacerdotem Dionysi, qui in primo gradu theatri locum obtinebat, quam rationem poetam illum non semel usurpasse ex fabulis colligas velim. Deinde cum quantam familiaritatem inter hos duos locos Plauti et Aristophanis esse negari non possit, illud Plautinum referendum est ad Graecam originem. Quoniam autem Plautus ipsum Aristophanem non praesto habuit, sed fabulas novae comoediae, illa spectatorum mentio pendet ex his fabulis, quae talem iocandi rationem ab Aristophane didicerunt. Itaque iam ex hac re apparet id quod illi viri docti pronuntiaverunt, non tantum habere fundamentum quantum deleri et dirui non possit, nam si Plautus re vera mutasset id quod non quadrasset ad res Romanas, certe hos versus non scripsisset.

Accedit quod non desunt versiones Plautinae quas stricte cohaerere luce clarius est cum fragmentis comicorum Graecorum nobis servatis, quorum nonnulla exempli gratia exscribere liceat:

1) cf. praeterea Mil. glor. 81 sqq.:
Qui autem auscultare nolet, exsurgat foras,
Ut sit, ubi sedeat illi qui auscultare volt.

cf. Bacchid. 816:
quem di diligunt, adolescens moritur.

Mil. glor. 684:
nam bona uxor, si ea duci potis est usquam gentium, ‖ ubi eam possiem invenire?

Cistell. I. 1, 91:
per Dionysia ‖ mater pompam me spectatum duxit .... Dum redeo domum ‖ conspicillo consecutust clanculum usque ad foris. ‖ In amicitiam insinuavit cum matre et mecum simul ‖ blanditiis muneribus donis.

Stich. 120:
ex multis malis malum quod minumumst, id minumest malum. ‖

Rud. 1114:
tacitast melior mulier semper quam loquens.

Poenul. 291:
nam tu es lapide silice stultior.

ibid. 871:
sine pennis volare haud facilest.

Bacchid. 791:
nescio etiam id quod scio.

Poenul. 522:
liberos homines per urbem modico magis est gradu ‖ ire: servile esse duco festinantem currere.

cf. Menand. frag. (Mein. IV. p. 105)
ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος

cf. Diphil. frag. (Mein. IV. pg. 426)
γυναικὸς ἀγαθῆς ἐπιτυχεῖν οὐ ῥᾴδιον

cf. Menand. frag. (Mein. IV. p. 243)
Διονυσίων μὲν ἦν πομπή.... ὁδὲ μ' ἠκολούθησεν μέχρι τοῦ πρὸς τὴν θύραν· ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων ἐμέτε καὶ τὴν μητέρ' ἔγνω με.

cf. Menand. frag. (Mein. IV. p. 260)
γαμεῖν κεκρικότα δεῖ σε γινώσκειν, ὅτι ἀγαθὸν μέγ' ἕξεις, ἂν λάβῃς μικρὸν κακόν.

cf. Menand. sent. (Mein. IV. p. 342)
γυναιξὶ πάσαις κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

cf. Apoll. Karyst. frag. (Mein. IV. pg. 445)
σύ με παντάπασιν ἡγεῖ λίθον
cf. Terent. Hec. II. 1, 17.

cf. Eubul. frag. (Mein. III. pg. 254)
ἄπτερος ὢν κούφως πέτεται.1)

cf. Antiph. frag. (Mein. III. p. 109)
ὅσα γὰρ οἶσθ' οὐκ οἶσθα νῦν.

cf. Alex. frag. (Mein. III. pg. 506)
ἓν γὰρ νομίζω τοῦτο τῶν ἀνελευθέρων εἶναι, τὸ βαδίζειν ἀρρύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς.
cf. Aristoph. nub. 964.

Possum multa alia afferre, sed ne longus sim in re iam fortasse omnibus nota, haec hactenus. Unum autem locum

1) cf. Joh. Schneider. dissertat.: de proverbiis Plautinis Terentianisque. Berlin. 1878.

addere volo, ex quo necessario sequitur quam arcte coniunctus sit poeta Umber cum Graecis exemplaribus. In Poenuli fabulae versu 648 Collabiscus ad spectatores conversus advocatos confert cum canibus qui lupum in plagas compellant, tali modo:

Cum praeda hic hodie incedit venator domum;
canes compellunt in plagas lepide lupum[1]),

quem lupum Lycum lenonem esse ex integra scena elucet. Qua ex re intellegimus in Graeca fabula poetam lusisse in nomine lenonis *Λύκου* atque in ea bestia cuius nomen est *λύκος*. Quod Plautus invenit atque transtulit neque mutavit illud nomen lenonis sed *λύκου* mentionem recepit cum verteret lupum, qui iocus in lingua Latina valde vacillat et claudicat, quam ob rem iam Lambinus nimium diligens Lycum inseruit pro lupo. Sed quoquomodo res se habet, nos mutare hanc lectionem non fas est, cum inde intelligamus Plautum ita vestigiis novae comoediae institisse, ut Graecam iocum ipsa Graeci poetae verba accuratissime secutus proferret atque ea re obscuraret. Praeterea autem hic versus dignus est qui conspiciatur, nam eo certiores facti sumus etiam nomina personarum non numquam a Plauto translata esse ex Graecis fabulis.

Itaque cum haec omnia consideremus, nonne concedere debemus, illam quaestionem suo iure propositam esse, quod summi momenti sit diiudicare quid sit aut Graecae aut Romanae originis in comoediis Plautinis? Quoniam autem una disquisitione omnia ad hanc rem spectantia percurrere nemo potest, equidem mihi ut aliquid proferrem hoc loco proposui, res ad historiam fabularem spectantes examinare.

Priusquam autem ad ipsos locos, qui ad historiam fabularem spectant, adumbrandos accedimus, nonnulla praemoneri haud a re fore visum est. Tractentur enim illi versus, in quibus personae cotidianae vitae componuntur cum heroibus vel aliis mythologiae figuris rebus eorum comice collatis cum

1) sic enim scribendum est codice Ambrosiano duce; quam lectionem Goetzius et Loewe in Poenuli editione adsumpserunt.

rebus illorum, ad quod genus comicum provocati sunt poetae comici tragoediis, in quibus illae fabulae ex mythologia sumptae componebantur. Sed unum hac in re necessarium esse videtur, quod summi momenti est, poetam eas res praescribere, quae eis qui spectabant, non ignotae, sed vel ex lectitando vel ex audiendo notissimae fuerunt. Quod imprimis fuisse apud Graecos saeculi quinti et quarti supervacaneum est monere, nam unus quisque Atheniensium noverat poetas tragicos patriae atque fabulas ab eis in tragoediis tractatas. Atque hoc praesertim probatur fragmento Antiphanis comoediae, cui est titulus *ποίησις*, ubi leguntur haecce:

Μακάριόν ἐστιν ἡ τραγῳδία
Ποίημα κατὰ πάντ', εἴγε πρῶτον οἱ λόγοι
Ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσὶν ἐγνωρισμένοι,
Πρὶν καί τιν' εἰπεῖν· ὡς ὑπομνῆσαι μόνον
Δεῖ τὸν ποιητήν. Οἰδίπουν γὰρ ἂν μόνον
Φῶ, τἆλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατὴρ Λάϊος eqs.

itaque personae tragoediae vel historiae fabularis in tragoediis descriptae nemo fuit quem fugerent, quo factum est, ut Athenienses cum in comoediis vitae cotidianae comparatas vidissent personas cum heroibus, talia paratragodumena perspicerent, ut illis risus excitaretur. Quae res num ita se haberent apud Romanos cum in comoediis Plautinis occurrerent rebus ex Graecorum historia fabulari sumptis, examinandum mihi proposui. Quam disquisitionem ut instituerem permotus sum per duos viros doctos, quorum sententiae altera cum altera pugnant neque umquam componi possunt. Atque primum quidem Kiesslingius in analect. Plaut. particulae alterius parte secunda mea quidem sententia suo iure contendit paratragodumena in Plauti comoediis non ex latinis aequalium tragoediis detorta esse, sed ex Graecis comoediarum exemplaribus fluxisse, cum Naevii Enniique fabulae non tam saepe agerentur, ut et Plauti memoriae singularum scenarum argumenta et facete dicta praesto essent et spectatores statim talium iocorum consilia agnoscere possent [1]). Ribbeckius vero

1) Praeterea de Bagnato l. l. et Meierus opusc. acad. II pg. 350

in fragmentis poeseos tragicae Romanae cum ageret de fragmento Ennianae Andromachae hocce: o pater, o Priami domus: plane expressit, ad hanc rem iocavisse Plautum in Bacchidum fabula, ubi verba invenimus: o Troia, o patria, o Pergamon, o Priami periisti senex: quae sententia pugnat contra Kiesslingium. Quae cum ita sint, meum esse existimo Ribbeckii sententiam refellere, qua in re spero me Kiesslingii verba vel amplificaturum vel firmaturum esse.

Atque primum quidem aggrediendum est ad tragoediam Romanam, quam eodem modulo nos metiri necesse est atque tragoediam Graecorum, itaque hasce res breviter percurrere proponimus: primum diiudicetur, num Romani fabulas quae inveniantur in tragoediis noverint, tum exploretur, num Romani illas tragoedias ipsas legerint. Quod ut repugnem, iam Kiesslingius l. l. monet, fabulas non statim in legentium manibus versatas esse, cum non ignotum sit, quam diu Plautinae comoediae in scenicorum solis scriniis delituerint, ut scribendo multiplicari non possent. Et hoc propterea fieri non potuit, quod magistratus vel dominus gregis a magistratu iussus fabulas a poeta emebat, qua re factum est, ut illae in possessionem, ut ita dicam, domini gregis transirent. Accedit, quod Plautinis temporibus fabulae modo ut representarentur, fingebantur neque umquam agones [1]) inter poetas vel tragicos vel comicos facti sunt. Tametsi Terentius fabulas conscripsit, quae vel ab eius fautoribus vel a populo legerentur, tamen hoc in Plautum non quadrat, qui neminem habuit a quo adiuvaretur. Quid? quod etiam Ennius qui medium locum inter hos comicos obtinet, sine dubio non tali vitae conditione initio usus est, ut tragoedias [2]) vel comoedias proponeret lectoribus, cum constet eum anno 550. a. u. c. a Catone Romam deductum, post hunc annum a Scipione adama-

---

nonnulla proferunt, nullum autem ab eis allatum est argumentum, quo sententiam tueantur. itaque id comprobare operae pretium esse videbatur.

1) cf. Momms. hist. Rom. T [3] pg. 886, adnot. Brix. in adnotat. ad Trimmuni v. 706.

2) Nempe eas tragoedias respexi, quae ex Graeco translatae sunt.

tum et adiutum anno 565. a. u. c. cum Fulvio Nobiliore in Aetoliam profectum esse, ut Plauto vivo Romae non valde floreret, unde sequitur, eum Plauti aetate non tam saepe fabulas egisse. Quibus ex rebus apparet, Romanos tragoedias legere non potuisse, quod quamquam a comoedia ad tragoediam transtulimus, tamen nemo erit qui stulte iudicatum censeat, cum non ignoret et tragoediam et comoediam ex eisdem incunabulis ortas esse neque solum tragoediam, verum etiam comoediam ad eandem rem spectavisse, denique — neque hoc levius est — eodem genere poeseos contineri.

Sed altera oritur quaestio, num Romani fabulas in tragoediis peractas perspicere potuerint. Quamquam negari non potest, Graecas litteras Plautinis temporibus Romae cultas esse, tamen semper cogitetis velim, illam litterarum cognitionem et notitiam in istis familiis floruisse, ex quibus una notissima nobis est gens Scipionum. Ei autem qui Plautinas comoedias spectabant, illas fabulas spectando cognoscebant atque valde differunt ab eis qui gloriari potuerunt se Graeco more educatos esse. Atque si erant hoc modo instituti, certe libentius fabulas ipsas Graecas legerunt quam illas latine versas. Adde quod neque umquam Romae ludi scenici ita exstructa erant ut Athenis, cum non a civibus representarentur civibus, qui bene eruditi erant, sed ab histrionibus incultae atque rudi plebi [2]) delectandi causa, quae minus delectabatur ipsa fabula quam histrionibus, qui eam representabant. Atque illi plebi semper fabulae, quae mythologiam alius populi excerpserunt, novae atque inauditae esse debuerunt, et unus quisque concedet, talem plebem iam psychologica ratione novi aliquid non statim penetrare potuisse, sed aliud cum alio miscuisse. Quae cum ita sint, dubium esse non potest, quin illa plebs Romana fabulas Graecorum mythologiae non novisse neque praesto habere potuerit, cum in Plauti comoe-

1) cf. Momms. l. l. qui dicit Romae Graecam scientiam valde floruisse.

2) cf. Momms. qui exponit: es war ein Publicum, wie man es heute in Gratis- und Feuerwerksvorstellungen findet.

diis paratragodumena ex Graeca historia fabulari inveniebantur. At dixerit fortasse quispiam, quamvis qui adfuerint, non penetraverint, quam comice alludat poeta ad res mythologicas, tamen tragicos poetas Romanorum illas fabulas transtulisse, ex quibus haurire possent comici. Sed mea quidem sententia sana mente haecce ratiocinatio postulatur: cum Plautus comoediarum Graecarum vestigia persequatur, quibus comico usui fuisse tragoedias non ignoramus, et Romani illas tragoedias etiam transferant, ex quibus Graeci comici sumpserunt, Plautina autem paratragodumena reperiantur in Graecis vel comocis vel scriptoribus, veri est simillimum Plautum eas res quae erant in Graecis comoediis, non ex tragoediis Romanis ipsa observatione sumpsisse, verum ex ipsis Graecis fabulis hausisse quae ei praesto erant. Quod singulis locis ita probari potest, ut inquiramus utrum paratragodumena Plautina in comicorum fabulis Graecorum inveniantur, quae nemo perspicere potuit nisi homo Graecus, necne. Qua in re examinanda liceat singulas fabulas percurrere perpaucis earumque paratragodumena adumbrare. Initium faciamus velim ab Menaechmorum fabula, adquam respicit Kiesslingius l. l., a quo ad hanc rem explicandam ornatum esse me libere confiteor.

In Menaechmorum vs. 714—718 mulier conviciabunda comparatur cum Hecuba:

Non tu scis, mulier, Hecubam qua propter canem,
Graii esse praedicabant? non equidem scio.
Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.
Omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat:
Itaque adeo iure coeptast appellari canis.

Ad quam rem spectat Euripides Hecubae vs. 1265:

Κύων γενήσῃ, πύρσ' ἔχουσα δέργματα.

praeterea cf. Eurip. frag. incert. 959 (Nauck.)

Ἑκάτης ἄγαλμα φωςφόρου κύων ἔσει.

tum cf. Aristoph. frag. 535. ap. Eust. Od. p. 1467, 37 ex Euripide expressum:

Καὶ κύων ἀκράχολος
Ἑκάτης ἄγαλμα φωςφόρου γενήσομαι.

Canem esse *Ἑκάτης ἄγαλμα* apparet ex Bekkeri Anecdot. p. 327, 13: *Ἀγάλματα Ἑκάτης: αἱ κύνες. θύονται γὰρ αὐτῇ.* Ibidem p. 336, 31: *ἄγαλμα Ἑκάτης τὴν κύνα οὕτως εἴρηκεν Ἀριστοφάνης διὰ τὸ ἐκφέρεσθαι τῇ Ἑκάτῃ κύνας.*

Eandem rem tangit Aristophanes in Ran. vs. 293:

ἀλλ' οὐκέτ' αὖ γυνὴ 'στιν, ἀλλ' ἤδη κύων.

atque Hecubam ab Hecate in canem mutatam esse, legimus in Lycophr. Alexandr. 1174 sqq.:

ὦ μῆτερ, ὦ δύςμητερ, οὐδὲ σὸν κλέος
ἄπυστον ἔσται, Περσέως δὲ παρθένος
Βριμὼ Τρίμορφος θήσεταί σ' ἐπωπίδα
κλαγγαῖσι ταρμύσσουσαν ἐννύχοις βροτούς.

cf. Scholiast. ad hos versus: *περὶ Ἑκάβης*; tum cf. Ovid. Metamorph. XIII. v. 555—575, qui hausti sunt ex fonte Alexandrino, denique cf. Dictyis Cretensis belli Troiani libr. V, cp. 16: Ceterum post abscessum Ulixi Hecuba, quo servitium morte solveret, multa ingerere maledicta imprecarique infesta omina in exercitum: qua re motus miles lapidibus obrutam eam necat sepulcrumque apud Abydum statuitur appellatum Cynossema ob linguae proterviam impudentemque pedulantiam. Atque Cynossema nominatum iam legitur apud Euripidem, cf. Hecub. 1272 sqq.:

Θανοῦσα τύμβῳ δ' ὄνομα σὸν κεκλήσεται.
— Μορφῆς ἐπῳδόν, ἢ τί τῆς ἐμῆς ἐρεῖς; —
Κυνὸς ταλαίνης σῆμα ναυτίλοις τέκμαρ.

atque Atheniensibus non ignotum erat propter possessiones in hoc loco. Deinde cf. Polluc. V, 5. Sed quid verbis opus est, Plautus ipse testificatur, unde hauserit illud cum adfert: Graii praedicabant.

Tum in vs. 743 Menaechmus profitetur se nunquam illam feminam vidisse neque novisse:

ego te simitu novi cum Porthaone;

atque paulo post vs. 748:

novi cum Calcha simul:
eodem die illum vidi, quo te ante hunc diem. De Cal-

chante Graecorum augure omnia nota sunt ex Iliade; atque Porthaon ut pater Oenei in Euripidis fabula Oeneo nominatus erat, praeterea autem eius memoria exstat in Eupolidis fabula *Πόλεσι*, cuius frag. in schol. ad Aristoph. ran. 1561 (Mein. II. 513) sic nobis traditum est:

οὐκ ἀργαλέα δῆτ' ἐστὶ πάσχειν ταῦτ' ἐμέ,
τὸν Λευκολοφίδου παῖδα τοῦ Πορθάονος;

Ceterum prae Calchante illius Porthaonis mentio hoc loco satis ignota; Meineckius quoque l. l. non perspicit quid sit quod Leucolophidam Porthaonis filium fecerit. Bergkius vero in adnotatione dicit: Und dass man sich der Bedeutung des Namens wohl bewusst war, zeigt die Anekdote, welche Polyaen VI. 1, 6 von Meriones, dem sein Bruder Jason von Pherae, nachdem er ihn zuvor heimlich seiner Schätze beraubt hatte, seinem eben geborenen Sohn den Namen zu geben gebot, erzählt: *Μηριόνης δέ, ἐπειδή τις ἤγγειλεν αὐτῷ πεπορθῆσθαι τὴν οἰκίαν, δεξάμενος τὸ οἰώνισμα, ὄνομα ἔθετο τῷ παιδίῳ Πορθάονα.* Atque Wilamowitzius in Luetjohanni de Apulei de Deo Socratis libro dissertation. pg. 38 (Gryps. 1878 progr.) censere videtur, his locis Porthaonis nomen per metonymiae figuram pro vastatore adhiberi.

Sequuntur versus 836 eqs., ubi Syracusanus Menaechmus simulans insaniam ut absterreat socerum fratris dicit:

Euoe Bacche, heu Bromie, quo me in silvam venatum vocas.

ad quem versum adscribo illos ex Euripidis Bacchis fabula sumptos (1189 eqs.):

ὁ Βάκχιος κυναγέτας σοφὸς σοφῶς
ἀνέπηλ' ἐπὶ θῆρα
τοῦδε Μαινάδας.

Versus 840—860 sequuntur:

Ecce Apollo mihi ex oraclo imperat,
Ut ego illic oculos exuram lampadibus ardentibus.
...... Nunc hunc impurissimum
Barbatum tremulum Tithonum, qui cluet Cucino patre
Ita mihi imperas, ut ego huius membra atque ossa atque artua
Comminuam illo scipione, quem ipse habet.

Atque Tithoni, qui non Cycno prognatus est, sed fuit Laomedontis filius, fit mentio ut significetur senex decrepitus. Sic apud Graecos exstat proverbium *Τιθωνοῦ γῆρας*, cf. Zenob. 6. 18, quod dilucidius fit illo Mimnermeo apud Stob. Flor. 116, 33: *Τιθωνῷ μὲν ἔδωκεν ἔχειν κακὸν ἄφθιτον ὁ Ζεὺς γῆρας, ὃ καὶ θανάτου ῥίγιον ἀργαλέου.* Tum apud Aristophanem senex quidam comparatus cum Tithono in Acharn. v. 688 describitur:

ἄνδρα Τιθωνὸν σπαράττων καὶ ταράττων καὶ κυκῶν.

Talia paratragoduma non aliena fuisse a comoedia testis est Aristophanes in Ecclesiaz. v. 1042:

ὥςτ' εἰ καταστήσεσθε τοῦτον τὸν νόμον
τὴν γῆν ἅπασαν Οἰδιπόδων ἐμπλήσετε.

Iam Kiesslingius l. l. perbene disseruit illud enuntiatum de Cycni filio non pertinere ad Tithonum, verum ad illum decrepitum senem, socerum Menaechmi alterius, qui cur Cycni filius appelletur, ex insequentibus facile est intellectu. Nam Menaechmus paulo post versu 858 dicit:

faciam quod iubes, securim capiam ancipitem atque hunc senem
osse fine dedolabo assulatim ei viscera.

atque securis ancipitis vel bipennis signo Tenediorum civitas publice in nummis utebatur, eamque ipse gerebat Apollo Tenediorum *πολιοῦχος* teste Aristide paroemiographo apud Stephanum Byzantium s. v. *Τένεδος: καὶ φησιν Ἀριστείδης καὶ ἄλλοι τὸν ἐν Τενέδῳ Ἀπόλλωνα πέλεκυν διὰ τὰ συμβάντα τοῖς περὶ Τένην* [1]). Ergo verbis Plautinis nihil exprimitur, nisi illum senem decrepitum componi posse cum Tenedi insulae conditore. Atque illius Tennis fabula Critiae tragoedia celebrata et comicis erat proverbio, nam Zenobius VI 9 proverbio: *Τενέδιος ἄνθρωπος*: explicato pergit *μέμνηται ταύτης*

---

1) Plura de hac re vel de fabula Tennis vel de proverbiis ad hanc fabulam spectantibus si quis quaerat, adeat velim Paus. X. 14, 1, Plutarch. Qu. Graec. 28, Heraclid. Politiar. libr. cp. VII, Steph. Byz. s. v. Τένεδος, scholiast. ad Iliad. A, 38. Nam hoc loco de his proverbiis sententiam proferre longe a re fore visum est.

ἐν Ἐφεσίῳ Μένανδρος[1]). Sed unum in medio relinquere cogor, nam cum mentione securis ancipitis, Tenediorum civitatis signi ille locus perspici possit, ea quae sequuntur verba:

Multa mihi imperas, Apollo. nunc equos iunctos iubes
Capere me indomitos, ferocis, atque in currum inscendere,
Ut ego hunc proteram leonem, vetulum, olentem, edentulum.

illam fabulam respicere Tennis possunt propter nominatum Apollinem, quod ut evincerem ex ipsa fabula, frustra adhuc operam navavi. Ni fallor, haec spectare possunt ad aliam fabulam, quam nos perspicere non possumus, cum a Meneaechmo ut viro insano non dilucide exponatur.

In versu 900 Menaechmus conqueritur:

Quae me clam ratus sum facere, ea omnia hic fecit palam
Parasitus, qui me complevit flagiti et formidinis,
Meus Ulixes suo qui regi tantum concivit malum.

Quo loco: Meus Ulixes: habet eandem vim atque in Pseudol. vs. 1063: Visso quid rerum meus Ulixes egerit. Nam in his enuntiatis per metonymiae figuram Ulixis mentio posita est pro socio vel adiutore meo, quod ex connexu sententiarum apparet. Sed unum addimus, hoc loco vocabulum regis, cum Ulixi non opponatur rex Agamemnon, modo referendum esse ad parasitum et Menaechmum, quo fit ut sit rex paraphrasis vocabuli patroni. Atque talis significatio prorsus abhorret ab usu Romanorum, qui quam vehementer vitaverint vocem regis magis notum est quam ut sint in id plura sumenda. In Graecia vero, ubi aetate novae comoediae satrapae et successores regis Alexandri reges nominabantur ab eis, quorum patroni erant, illa consuetudine appellandi uti homi-

1) Fortasse etiam hoc est nonnullius momenti, nam in v. 842 de lampadibus ardentibus verba fiunt, quod vocabulum est Graecae originis neque apud ullum scriptorem invenitur, nisi apud Varr. R. R. 3. 18, 9: nunc cursu lampada tibi trado: et apud Lucret. 2. 79: quasi cursores vitae lampada tradunt; sed apud ambos scriptores proverbialiter dictum est et translatum ex Graecia, ubi iuvenes et cursu et lampade certabant cf. Jahn. ad Pers. VI. 61.

nes paulatim assuefacti sunt, quam Romani etiam adsumpserunt posterioribus temporibus, cui rei testis est Horatius.

Atque huius regis mentio inventa, in Captiv. fab. v. 90:

Nam postquam meus rex est potitus hostium eqs.

et in Stich. v. 455: tam confido quam potis
Me meum optentaturum regem rediculis modis.

et Asin. 918: nam ni impetro
regem perdidi: ex amore tantumst homini incendium,

et in Terent. Phorm. II. 2. 24:

Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert,

certe ex Graecis fabulis pendet, in quibus patroni cum parasitis introducti sunt. Quid? quod aut valde erro aut in Antiphanis *Διδύμοις* fabula mentio exstat regis cuiusdam parasiti. Nam apud Mein. III. 45 legimus:

Τὸ ποτήριόν μοι τὸ μέγα προσφέρει λαβών.
. . . . καὶ θεαινῶν μυρίους·
ἔπειτ' ἐπὶ τούτοις πᾶσι τῆς σεμνῆς θεᾶς,
καὶ τοῦ γλυκυτάτου βασιλέως διμοιρίαν.

Primum quidem in hac fabula parasitum fuisse inde apparet, quod Athen. VI. p. 237 de parasitis aliquid profert ex hac fabula sumptum; tum haec verba in ore parasiti non inepta videntur; perstringit autem poeta hoc loco foedam quorundam adulationem, qui singulos cyathos singulis diis libantes in conviviis, in honorem regis duos cyathos effunderent; quem regem hoc loco Alexandrum esse nihil est, quod nobis persuadeat; eodem, fortasse maiore iure hic locus referendus est ad parasitum patronum adulantem [1]).

In versu 935 legimus:

Immo Nestor nunc quidemst de verbis, prae ut dudum fuit.

Sic enim hoc loco scribendum est Spengelio duce; atque Nestor ut erat sapiens opponitur insano Menaechmo, quod fieri posse negat Brixius in adnotatione ad hunc locum: statt melior haben die Handschriften nestor, worin man gern mit

1) Quamquam hanc sententiam non pro vero venditare volo, cum mihi modo in mentem venerit atque me non fugiat, etiam Romae regis appellationem usurpatam videri, nam pueri cantant: rex eris, si recte facies. cf. Horat. epist. I. 1, 59.

A. Spengel (T. M. Plautus, Kritik, Prosodie, Metrik pg. 12.) Nestor finden möchte, wenn nur Menaechmus vorher (933) etwas wie Nestor gesprochen hätte oder Nestor überhaupt als Gegensatz zu einem Verrückten denkbar wäre. Sed errat Brixius, nam silentio praeteriit, hoc loco Nestoris nomine metonymiam significari pro sapientia; atque eodem modo in antea laudato versu nihil de Ulixe invenitur nisi Ulixis nomine contineri metonymiam socii. Tum autem cur opponi non possit vir sapiens insano intellegere non possum. Nestorem Homero notum propter sapientiam invenias in Iliad. *B.* 370:

Τὸν ἀπαμειβόμενος προςέφη κρείων Ἀγαμέμνων·
ἦ μὰν αὖτ᾽ ἀγορῇ νικᾷς, γέρον, υἷας Ἀχαίους.

ad quem locum illud Plautinum bene quadrat, nam *ἐνάγορᾷ* opus erat et multis verbis et sapienter dictis.

Perpaucis absolvere licet Amphitruonem, quae tota expressa est ex Graeco fonte. Nam illius fabulae argumentum eiusdem modi est atque fabulae novae comoediae [1]), in quibus omnes res Herculis tractantur et imprimis exponitur quanta familiaritate inter se coniuncti fuerint parentes Herculis, Alcmene et Amphitruon, ad quas comoedias conscribendas provocati sunt poetae Euripidis tragoedia Alcmena, in qua Hercules puer introductus esse dicitur. Ergo verisimile est, id quod a Plauto prolatum pertineat ad Herculem eiusque parentes, Graecae originis esse, praesertim cum poeta Herculem Graecum describat, id quod iam inde sequitur quod rex Creon et Pterela aliique Graeci homines nominati sunt in fabula. Atque ex numero Graecorum poetarum comicorum etiam Amphitruonem Archippus conscripsit, de qua Meinecke h. cr. *T.* I pg. 208 suspicatur: argumentum fabulae, quamquam e fragmentis nihil efficias, vix tamen diversum esse potuit ab eo quod Plautus Graecos auctores secutus in cognomine fabula tractavit. Itaque singula percurrere velut Creontis regis in vs. 350, Pterelae vs. 252, Teleboorum vs.

1) ne erroris coarguar, mediam quae vocatur comoediam nihil nisi initia novae comoediae esse censeo; propterea non secerno ab nova quae vocatur comoedia illam mediam.

205. 251 mentionem supervacaneum est, nam historiae fabularis Romanorum nec vola nec vestigium apparet.

In Aululariae vs. 391 sqq. Euclio clamat:

Ei mihi,
Perii hercle ego: aurum rapitur, aula quaeritur.
Apollo, quaeso, subveni mi atque adiuva:
Confige sagittis fures thensaurarios:
Qui in re tali aliis iam subvenisti antidhac.

Demonstravit Kiesslingius [1]) hos versus referendos esse ad invasionem Gallorum, qui anno 273. a. Chr. Delphos vastaverunt atque templi Apollinis diripere conati sunt. cf. Paus. VIII cp. 10: *ἐκδηλότατα δὲ ὁ Γαλατῶν στρατὸς ἀπώλετο ἐν Δελφοῖς ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ ἐναργῶς ὑπὸ δαιμόνων.* Quod si cogitamus, perbene Euclio orat ab Apolline, ut quod antea fecerit, id iterum faciat, nempe repellat fures thensaurarios, qui ut olim thensauros templi, ita nunc Euclionis thensaurum auferre conentur. Et cum haec res in Graeco exemplari adnotata esse debeat, suo iure omnibus persuasit Kiesslingius, fabulam quam Plautus secutus est in Aularia Graecam, non conscriptam fuisse nisi post an. 273. a. Chr. n.

Deinde in vs. 551 sqq. idem Euclio homo avarus introducitur, qui conquestus quod tam multi coqui in domum suam venerint, Megaronidem incusat his verbis:

Quid sit me rogitas? qui modo omnis angulos
Furum implevisti in aedibus misero mihi:
Qui intromisisti in aedes quingentos coquos
Cum senis manibus genere geryonaceo:
Quos si Argus servet qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,
Is numquam servet. praeterea tibicinam
Quae mi interbibere sola, si vino scatat [2])
Corinthiensem fontem Pirenam potest.

---

1) ceterum cf. Kiesslingii disputat. de hac re in mus. rhen. 1868. XXIII. pg. 214. 215.

2) sic interpungendum esse censeo, non assentiente Goetzio, qui scribit:

Qua in descriptione ludit Euclio trifariam, Geryonem, Argum Ius custodem, Corinthiensem fontem. Atque coqui comparantur cum Geryone, quod quasi monstra sex manibus instructa multas res auferre possunt. Geryonem fuisse monstrum τρισώματον satis notum est, cf. fragm. Aeschyli ab Wilamowitzio [1]) ex scholiis Eurip. Rhesi (cod. Marc.) feliciter indagatum:

ἐκεῖθεν
ὅρμενος ὀρθόκερως βοῦς ἤλασ' ἀπ' ἐσχάτων
γαίας ὠκεανὸν περάσας ἐν δέπαι χρυσηλάτῳ,
βοτῆράς τ' ἀδίκους ἔκτεινε δεσπότην τε τρίζυγα
τὸν τρία δόρη πάλλοντα χερσί, τρία δ' ΙΑΤΗΣ
σάκη προτείνων τρεῖς τ' ἐπισσείων λόφους
ἔστειχ' ἶσος Ἄρει βίαν . . .

deinde confer Aeschyl. Agam. 870:

εἰ δ' ἦν τεθνηκώς, ὡς ἐπλήθυον λόγοι,
τρισώματός τἂν Γηρύων ὁ δεύτερος eqs.

cf. Eurip. Hercul. 424:

τὸν τρισώματον οἶσιν ἔκτα βοτῆρ' Ἐρυθείας.

deinde cf. Aristoph. in Acharn. 1082: βούλει μάχεσθαι Γηρυόνῃ τετραπτίλῳ et schol. ad h. l.: ὁ γὰρ Γηρυόνης, οὗ ἐμνήσθη, τρικέφαλος eqs. tum Ephippus comicus Graecus scripsit fabulam Γηρυόνην. Denique Geryones qualis hoc loco describitur, notus etiam est ex vasculis pictis haud paucis, quorum nonnulla Aeschylo aequalia sunt, qua ex re apparet, Athenienses Geryonem trigeminum credidisse, quamquam vir summi in his rebus iudicii Loeschke in eximia disputatione, quam de vasculis Minervam nascentem exhibentibus nuper edidit, oblocutus est errore ductus. Sed ne quid omisisse videar, coquus etiam in nova comoedia confertur cum monstris, quod colligas ex Philem. frg. 40^b (Mein.):

Quae mi interbibere sola, si vino scatat,
Corinthiensem eqs.

Sed 'si vino scatat' referendum est non ad tibicinam, verum ad fontem; nam si illa tibicina scatat vino, bibere non amplius potest.

3) cf. dissert. de Rhesi scholiis in indic. lect. univers. Gryphiswald 1877|78.

Σφίγγ' ἄῤῥεν', οὐ μάγειρον εἰς τὴν οἰκίαν εἴληφα.

Quod Plautus mentionem Argi custodis Ius facit, in Aristoph. Ecclesiaz. 80—81 scribitur:

νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρ' ἐπιτήδειός γε ἂν ἦν
τὴν τοῦ Πανόπτου διφθέραν ἐνημμένος
εἴπερ τις ἄλλος βουκολεῖν τὸ δήμιον,

ubi scholiasta duce respicitur Argus Ius custos. Quod vero Prellerus [1]) dicit, Plautum fabulam amplificasse, cum totum oculeum nominet custodem Ius, in ea re errat, nam 'totus oculeus' reddit Graecum vocabulum *πανόπτης*, quo Plautinae fabulae auctor graecus sicut Aristophanes usus erat. Ceterum ad eundem Argum spectat anus vs. 64 sic compellata:

quae in occipitio quoque habet oculos pessuma.

quod conferri debet cum illo Graeco: *ὄπισθεν κεφαλῆς ὄμματ' ἔχειν.*

Sed etiam aliud argumentum, quo confirmetur, hanc rem sapere Graecum colorem, adest. Mommsenus [2]) enim suo iure demonstravit, Ennium in prologo tragoediae Medeae nomina Graecae historiae fabularis exemplari sui explicasse, ut essent perspicua. Quo more etiam Plautus usus est, atque inde sequitur, eas res historiae fabularis Graecae, quibus explicandi causa nonnulla adiecta sunt, ex Graeco exemplari esse, cum additamenta, ut ita dicam, habent Plautum auctorem, quod etiam ex aliis locis, quae infra tractabimus, elucet. Quae cum ita sint, summa iniuria Wagnerus in editione Aulularíae eum versum: Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit, delevit, quasi esset excerptus ex Accio.

Denique fontis Corinthiensis nullam indagare potui mentionem in Graeca comoedia, sed apud Pindar. Olymp. 13, 86 nominatur:

τοῖσι μὲν
ἐξεύχετ' ἐν ἄστεϊ Πειράνας σφετέρου πατρὸς ἀρχὰν καὶ βαθύν.

cf. praeterea Eurip. Medeae fab. v. 69:

---

1) cf. Preller. mythol. Graec. tom. I. pg. 318. adnot. ex.

2) cf. histor. Rom. I[3] pg. 912. adnot.

ἔνθα δὴ παλαίτατοι
θάσσουσι, σεμνὸν ἀμφὶ Πειρήνης ὕδωρ.

tum Troad. 205:

ἢ Πειρήνας ὑδρευσομένα.

Quibus locis collatis certiores fieri possumus, in Graeco exemplari Plauti modo legi Πειρήνην, quamobrem 'Corinthiensem' additum a Plauto videtur.

In versu 693 Strobilus servus occupato thensauro Euclionis gloriatur:

Pici [1]) divitiis qui aureos montes colunt
Ego solus supero — nam istos reges ceteros
Memorare nolo, homonum mendicabula.
Ego sum ille rex Philippus.

Montes hos aureos esse in terra Persarum, colligas ex Stichi fabul. 24 eqs: Novi ego illum, ioculo haec dicit:

Neque ille sibi mereat Persarum
montes qui esse aurei perhibentur.

cf. Aristoph. Acharn. 82:

ἔτει τετάρτῳ δ' ἐς τὰ βασίλει' ἤλθομεν·
ἀλλ' εἰς ἀπόπατον ᾤχετο, στρατιὰν λαβών,
κἄχεζεν ὀκτὼ μῆνας ἐπὶ χρυσῶν ὀρῶν.

cf. scholiast ad hunc versum.

Atque cum his montibus iuncta est mentio grypum. nam cf. Hipparchi novae comoediae poetae fragmentum:

Προσέχεις τι τούτῳ τῷ σρατιώτῃ; ποῦ δ' ἔχει
ἀργύριον οὗτος; οὐδαμόθεν εὖ οἶδ' ἐγώ,
ἀλλ' ἢ δαπίδιον ἓν ἀγαπητὸν ποικίλον
Πέρσας [!] ἔχον καὶ γρῦπας [2]) ἐξώλεις τινάς
τῶν Περσικῶν, ubi grypum mentio non obscurata corruptela. Hac ex re vero apparet, Plautum non regem Picum no-

---

1) Pici hoc loco non est genetivus, sed nominativus qui pendet ab illo: qui colunt. atque talem constructionem a Plauto non alienam esse apparet ex Asin. 621: patronus qui vobis fuit futurus perdidisti.

2) fortasse alicuius momenti est, apud Aristoph. av. 707 hunc versum exstare: ὁ δὲ Περσικὸν ὄρνιν, ad quem scholiasta: τὰ πολυτελῆ πάντα, οἷς μόνος βασιλεὺς ἐχρῆτο, ἐκαλεῖτο Περσικά.

minasse, quod vult Prellerus, sed pro Graecorum gryphibus picum Latinum inseruisse, qua ratione non semel usus est. Accedit quod hoc loco picus non is est, qui thensaurorum ubi sit locus sciat, sed qui thensaurum custodiat more Graecorum grypum. Quod iam veteres intellexerunt, nam Non. p. 152 ex commentario quodam Aululariae profert: Picos veteres voluerunt esse, quos Graeci grypas appellant. et illi grypes non semel coniunguntur cum aureis montibus. cf. Herodot. IV. 13: *Ἀριστέης .... ὑπὲρ Ἀριμασπῶν ...... οἰκεῖν τοὺς χρυσοφύλακας γρῦπας.* cf. praeterea III. 116. atque Aeschylus in Promethei v. 805 meminit *γρυπῶν*:

ὀξυστόμους γὰρ Ζηνὸς ἀκλαγγεῖς κύνας
γρῦπας φύλαξαι, τόν τε μουνῶπα στρατὸν
Ἀριμασπὸν ἱπποβάμον', οἳ χρυσόῤῥυτον
οἰκοῦσιν eqs.

deinde Ctesias apud Phot. 72. 69 (ed. Bekk.) memorat *γρῦπας*, ubi *περὶ γρυπῶν καὶ ἀργυρῶν ὀρῶν* disserit. Ceterum quod quasi exemplum divitis hominis profertur rex Philippus, id repetitur in Pers. 339:

mirum quin regis Philippi causa aut Attali
Te potius vendam quam mea, quae sis mea.

Is autem Philippus, quantum ego quidem videre possum, erat Philippus Macedo, pater Alexandri, qui quamvis ab Atheniensibus modo parvulus rex aestimaretur, tamen propter divitias notus erat, quod colligas velim ex Isocratis Philippi cp. 5, 15: *πρὸς δὲ τούτοις καὶ πλοῦτον καὶ δύναμιν κεκτημένον, ὅσην οὐδεὶς τῶν Ἑλλήνων, ἃ μόνα τῶν ὄντων καὶ πείθειν καὶ βιάζεσθαι πέφυκεν.* Ergo nisi omnia me fallunt, totus locus Plautinus redolet Graecam officinam.

Asinariae v. 405 Libanus mercatori quaeranti describens atriensem subito exclamat, cum Sauream vidit:

Atque hercle ipsum adeo contueor, cassanti capite incedit
Quisquis obviam huic occesserit irato, vapulabit.

Cui mercator: Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit,

Si me iratus tetigerit, iratus vapulabit.

Haec sive ad Aiacem sive ad Achillem per Peleum patrem e gente Aeaci ortum, quos Aeacidinos nepotes esse satis notum est, spectare possunt. Atque hac comparatione nihil aliud dicit poeta nisi haecce: etiamsi ille est sicut Achilles et Aias, fortissimus heros, tamen vapulabit, si me aggressus erit.

In Bacchidum fabula primo tractandum videtur canticum, quo Chrysalus servus gloriabundus Iliacae fabulae argumenta ad suas fallacias describendas detorquet. Hoc in cantico (vs. 925—978) retractationis insunt vestigia, quae primus detexit Kiesslingius Analect. Plaut. I., cui Brachmannus 'de Bacchidum Plautinae retractatione scenica' pg. 100 sqq. de summa rei adsentiens in singulis frustra oblocutus est. Sed hoc alienum est [1]) ab ea, quam instituo, disquisitione. Vaticinatur Chrysalus, senem mox deceptum iri, sicut tribus expletis fatis Ilium capta sit: atque id vaticinium quantopere tragoediae alicuius parodiam spiraret, neminem interpretum fugere potuit. Crediderant Welckerus (de trag. graec. p. 523) et Ladewigus (prg. 1848 pg. 11), quos secutus est Ribbeckius (de trag. Rom. pg. 48), ludere Plautum Ennii

1) nota pg. 112 Brachmannus Ulixem in raptu Palladii ab Helena agnitum esse negat et Kiesslingium qui hanc 'fabulam notam' esse breviter significavit, vellicat; quo iure id fecerit Kiesslingius, discere potest et debuit, si artis monumenta, quae vel nunc grammatici nonnumquam turpiter ignorant, respicere velit. Nam Otto Iahnii disputatio (Philol. I. 46 sq.) vel tironibus nota: semper fere in vasculorum picturis, quae Palladii raptum reddant, adest Helena Ulixi et Diomedi, unde necessario colligitur Laertiadem ab ea esse agnitum. Neque minus saepe in Pompeianis tabulis parietinis Helena adparet. cf. Helbig. tab. Pomp., Overbeckii monum. heroic. XXIV. 19. Aliud etiam contra Kiesslingium argumentum Brachmanni (p. 112) falsum est., nam sine ullo dubio detecto illo priore mendacio et dolis Chrysalus e periculo se extulit et senem decepit. Chrysalus enim is erat, qui iusserat Mnesilochum illam epistolam componere et a patre postulare, ut et servus vinciretur et postea nulla poena decreta dimitteretur. Itaque Chrysalus quippe qui haec omnia exornavisset, se extulit dolis periculo et decepit senem, cum, ut is omnia pro vero emeret, perficeret.

Andromacham propter similitudinem versus:

O Troia, o Pergamum, o patria, periisti senex

cum illo Enniano:

o pater, o patria, o Priami domus

(Enn. frg. 81. sq. Ribb.) Sed primum quidem Ennii fabulas primas — nam propter temporum rationes de primis eius tragoediis solum cogitare licet — certe non in' legentium manus venisse, sed a proscenio tantummodo auditas esse probabile est; verba deinde Enniana Troiae interitum lugent, cum Plautina, antequam urbs capta est, fortunam Ilio ingruentem vaticinantur, quapropter aptius mihi ludere videntur Cassandram vatem quam Andromacham maerentem.

Atque Brachmannus de Naevio Equo Troiano cogitavit, sed ego libentius in Kiesslingii castra transeo, qui haec omnia Menandro tribuit, quem Graecum quandam tragoediam tetigisse statuit, cuius argumentum accedat ad Ἰλίου πέρσεως similitudinem. Nicobulus senex Priami partes agit (973, 976, 978), tabellae obsignatae, quas Chrysalus secum fert, sunt equi lignei Achivorum instar (936), Pistoclerus alter est Epius (937), Mnesilochus Sinonis personam sustinet, qui non in busto Achillis cum igni, sed in lecto accubat cum Bacchide, quae ipsum exurit, denique Chrysalus est Ulixes, cuius consilio haec omnia geruntur. Quod attinet ad tria fata illa Troiana cf. Kiesslingii pg. 16, Brachmanni pg. 180—183, quocum non consentio in ea re, quod censet Kiesslingii recensione accepta frustra exspectari tertium fatum. Quantum ego quidem videre possum, perbene licuit poetae postulare a spectoribus, ut posteriore illo loco id recordarentur narratione praemissa, quae versibus 935—944 contineatur; praeterea autem poetam iam hoc loco tertium fatum enarrare non fas est, cum tabulas, quibus illud fatum tenetur, servus nondum tradiderit. Atque Plautus ut est bonus poeta vel translator, ut ita dicam, illud fatum pronuntiavit v. 986:

Pellege.

Nunc superum limen scinditur, nunc prope adest
exitium Ilio.

et vs. 1053:

Fit vasta Troia, scindunt proceres Pergamum.
Scivi ego iam dudum fore me exitium Pergamo;

postquam Nicobulus pollicitus est, se aurum daturum esse. Accedit quod vs. 935—944 perbene leguntur post 934, quem ordinem codices praebent, cum illis quasi declaretur et excusetur ista exclamatio: O Troia sq. Neque enim desunt paratragodumena comicorum Graecorum ex Iliadis fabulis sumpta, cf. Antiph. frag. (Mein. III. 25)

Ὁ μὲν Μενέλεως ἐπολέμησ' ἔτη δέκα
τοῖς Τρωσὶ διὰ γυναῖκα τὴν ὄψιν καλήν.

Nonne tale aliquid invenimus in vs. 925—928 h. scenae:

Atridae duo cluent fecisse facinus maximum,
Quum Priami patriam Pergamum eqs.

Sed nunc ad singula huius fabulae accedere liceat. In versu 5 Bacchis Pistocleri adulescentis errores lamentans dicit:

Ulixem audivi fuisse aerumnosissimum,
Qui viginti annis errans a patria afuit eqs.

quae spectant ad illud Homericum 'πολύτροπον, ὃς μάλα πόλλα πλάγχθη, satis notum argumentum comoediae Atticae, siquidem apud comicos Graecos titulus Ὀδυσσέως septies invenitur. Praeterea autem memoria Ulixis errantis exstat apud Aristophanem saepius quam semel. cf. Plut. 312, qui spectant ad dolum Ulixis, quo decepit Cyclopem, tum vesp. 181—186 ad eandem rem spectantes, denique av. 1561, ubi venit Ulixes ad inferos.

Versu 155 Ludum paedagogum iratum atque adolescentulum prohibentem, quominus ad Bacchidem se conferat, Pistoclerus aggrediens comminatur:

Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem es Linus.

Notum est, illum Linum Herculis magistrum a discipulo interfectum esse, ex Diodor. III. 67, Apollodor. II. 4, 9. Sed quid multis opus est verbis, cum nos non fugiat, iam in Attica comoedia Herculem magistro usum esse Lino, cf. quaeso Alexidis fabulae Lini frag. (Mein. III. pg. 443). Ergo etiam hoc paratragodumenum spirat Graecam parodiam.

Versu 156 minitanti adulescentulo respondet paedagogus:

Pol metuo magis, ne Phoenix tuis factis fuam
Teque ad patrem mortuum renuntiem.

Phoenicis mentio, adiutoris et comitis Achillis, satis nota ex Iliad. I. 448 sqs., *P.* 555 sqs., *B.* 681 sqs. Atque illum Peleo Achillis mortem nuntiavisse apparet ex ea re, quod in *νόστοις* Phoenix cum Neoptolemo in patriam reversus ibi sepultus esse fertur.

In versu 241 Chrysalus servus Nicobulum senem, a quo se argentum ablaturum esse sperat, comparat cum ariete Phrixi: adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phrixi: atque hoc respicit fabulam Graecis notissimam, quam Plautum non ex suo ingenio, sed ex exemplari Graeco nulla re mutata sumpsisse, iam inde colligitur, quod nihil explicandi causa additum est. Nam censere debemus Romanos non statim praesto habuisse, arietem Phrixi aureum fuisse. Simili modo nulla re explicandi causa adiecta ludit Anaxandrides in fabula *Ὀδυσσεῖ*:

ὑμεῖς γὰρ ἀλλήλους ἀεὶ χλευάζετ', οἶδ' ἀκριβῶς· ......
ὑφείλετ' ἄρνα ποιμένος παίζων, Ἀτρεὺς ἐκλήθη·
ἐὰν κρίον, Φρίξος, ἂν κωδάριον Ἰάσων.

In versu 275 Nicobulus hospitem accusans, quod aurum Nicobuli averterat, dicit:

Deceptus sum: Antoluco hospiti aurum credidi.

Qui Antolycus filius Mercurii propter artes furaces iam notus invenitur in Odyssiae *T.* 394:

μετ' Αὐτόλυκόν τε καὶ υἷας,
μητρὸς ἑῆς πατέρ' ἐσθλόν, ὃς ἀνθρώπους ἐκέκαστο
κλεπτοσύνῃ θ' ὅρκῳτε.

Praeterea Antolycus tamquam proavus furum describitur in Iliad. *K.* 267:

... *Αὐτόλυκος πυκινὸν δόμον ἀντιτορήσας.*

cf. Hesiod. fragm. (ed. Goettl.) 96. Tzetz. Lycophr. 344. *κλέπτων γάρ ἵππους τε καὶ βοάς καὶ ποίμνια τὰς σφραγῖδας αὐτῶν μετεποίει καὶ ἐλάνθανε τοὺς δεσπότας αὐτῶν, ὥς φησι καὶ Ἡσίοδος·*

πάντα γὰρ ὅσσα λάβεσκεν, ἀείδελα πάντα τίθεσκεν.

Versu 810 Chrysalus servus a domino vinciri iussus dicit:

Ah, Bellerophontem tuus me fecit filius:
Egomet tabellas tetuli ut vincirer.

quae verba referenda sunt ad Bellerophontem a Proeto Stheneboea uxore adhortante ad Iobatem in Cariam missum cum tabellis, quibus Iobati imperabatur, ut interimeret Bellerophontem. Atque hoc iam ex Homer Il. Z. 160 eqs. notum retractatum est ab Euripide in Stheneboea tragoedia. Deinde satis celebrata Bellerophontis fata nonnullis vasculis pictis, ex quibus unum nominandum videtur, quod habet Bellerophontem tabulam tradentem Iobati pictum cf. Conze, vas. select. VIII, 9. 1. Denique talia paratragodumena non abhorrere ab attica comoediae apparet ex Aristoph. nub. 256:

ἐπὶ τί στέφανον; οἴμοι, Σώκρατες,
ὥσπερ με τὸν Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσετε.

De Lycurgi denique mentione (v. 111) cf. infra.

In Captivorum fabulae vs. 274 senex Hegio sapientiam servi admiratus dicit: Eugepae: Thalem talento non emam Milesio, quocum conferendi et Bacchidum versus 122 eqs., ubi Pistoclerus se Lydum paedagogum sapientissimum semper habuisse professus ait:

hem, quam, o Lude, es barbarus,
quem ego sapere nimio censui plus quam Thales.

et Rudentis v. 1001:

Tr.: Ita enimvero? stultus es. Gr.: Salve Thales.

et Pseudol. 301.

Emito die caeca hercle olivom, id vendito oculata die:
Iam hercle vel ducentae possunt fieri praesentes minae.

Quae ad Thalem spectare intellegimus ex Aristotel. Polit. I. 11: *οἷον καὶ τὸ Θάλεω τοῦ Μιλησίου· τοῦτο γάρ ἐστι κατανόημά τι χρηματιστικόν, ἀλλ' ἐκείνῳ μὲν διὰ τὴν σοφίαν προσάπτουσι, τυγχάνει δὲ καθόλου τι ὄν. κατανοήσαντά φασιν αὐτὸν ἐλαιῶν φορὰν ἐσομένην ἐκ τῆς ἀστρολογίας, ἔτι χειμῶνος ὄντος εὐπορήσαντα χρημάτων ὀλίγων ἀῤῥαβῶνας*

διαδοῦναι τῶν ἐλαιουργῶν τῶν ἐν Μιλήτῳ καὶ Χίῳ πάντων, ὀλίγου μισθωσάμενον ἅτ' οὐδενὸς ἐπιβάλλοντος· ἐπειδὴ δ' ὁ καιρὸς ἧκεν, ἐκμισθοῦντα ὃν τρόπον ἠβούλετο sq. quem praeter alios multos expressit Cicero de divinat. I. 111. Ergo Thaletis mentio abiit in proverbium, idque ex attica comoedia translatum esse docet imprimis Aristophanes, apud quem in avium v. 1009 Meton audit: *ἅνθρωπος Θαλῆς.* cf. quoque nub. 180:

τί δῆτ' ἐκεῖνον, τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;
ἄνοιγ' ἄνοιγ' ἀνύσας τὸ φροντιστήριον
καὶ δεῖξον ὡς τάχιστά μοι τὸν Σωκράτην.

In vs. 562 sqq. Tyndarus servus Hegioni persuasurus Aristophontem insanum et rabie captum esse, illum comparat cum insanis tragicis:

Et quidem Alcmaeus atque Orestes et Lycurgus postea
Una opera mihi sunt sodales qua iste,

ubi de Oreste omnia nota sunt, Lycurgi autem insania iam Homero nota (cf. Iliad. Z. 130 sqq.), in Lycurgia tetralogia ab Aeschylo tractata, ab Sophocle commemorata erat in Antigon. vs. 955 sqq. Neque ignobilior Alcmaeus, Euripidis fabula *Ἀλκμέωνι* multisque aliis celebratus, cf. Aristotet. poetic. et Antiph. Poeseos fragmentum:

ἂν πάλιν
εἴπῃ τις Ἀλκμέωνα, καὶ τὰ παιδία,
πάντ' εὐθὺς εἴρηχ', ὅτι μανεὶς ἀπέκτονεν
τὴν μήτερ' sqq.

Pergit Tyndarus v. 615:

modo ornamenta absunt: Aiacem hunc quam vides ipsum vides.

Quo in versu poeta non respicit Aiacem quem habemus in fabula, sed eum, quem representatum videmus in proscenio, cum ornamenta adiungantur. Atque propterea hoc ex Graeco exemplari pendet, nam Romae Plauti temporibus [1]) Aiacis figura

1) Ne videar quid omisisse, Plautus quater in fabulis respicit alias vel comoedias vel tragoedias. cf. Trucul. v. 931. ubi Phronesium meretrix

non saepe in proscenio fuit, cum Athenis temporibus novae comoediae per *Διονύσου τεχνίτας* Aiax non semel repraesentaretur, ut in eum in proscenio ornatum et repraesentatum poetae comici alludere possent. Habemus etiam talem personarum mentionem apud Hyperidem in orat. pro Lycophron. VI. 20 eqs. (ed. Blass. pg. 25): *καὶ ταῦτα δοκεῖ ἂν ὑμῖν ἢ Αἴας ἐκεῖνος ὁ μαινόμενος ποιῆσαι ἢ Μαργίτης.*

In **Casinae** actus alterius scena sexta duo servi qui sortientibus domino et eius uxori adsunt, ita colloquuntur:

Deos quaeso, ut tua sors ex citella effugerit.
Ain tu? quid tute es fugitivus, omnes te imitari cupis?
Sed utinam tua quidem, sicut Herculeis praedicant
Quondam prognatis, ista in sortiendo sors delicuerit.

Respicit his versibus poeta Heraclidas Temenum, Cresphontem Aristodemique filios, quorum de sortitione narrat Pausanias, cf. IV. 3, 5: *Κρεσφόντης δὲ (γενέσθαι γὰρ οἱ ἤθελε τὴν Μεσσηνίαν πάντως μοῖραν) Τημένου δεῖται, παρεσκευασμένος δὲ τοῦτον τῷ κλήρῳ δῆθεν ἐφίησιν. Τήμενος δὲ ἐς*

---

dicit: venitne in mentem tibi quod in cavea dixerit histrio eqs., atque hanc sententiam eadem femina profert v. 416. ergo Plautus se ipsum respicit. Deinde Curcul. 591 dicitur: antiquom poetam audivi scripsisse in tragoedia: mulieres duas peiores esse quam unam. atque illum poetam Euripidem esse, a comoedia agitatum, luce clarius est; ergo pendet hoc ex Graeco exemplari. Tum legimus in prologo Mercatoris: non ego idem facio ut alios in comoediis ‖ vidi facere amatores qui aut Nocti aut Dii ‖ aut Soli aut Lunae miserias narrant ‖, quod item ex Graecis exemplaribus fluxisse non negabimus, qui non ignoremus apud Euripidem in Med. v. 68 legi: ἵμερος μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας. Denique in Amphitruon. prologo inest: nam ego quidem commemorem ut alios in tragoediis vidi Neptunum eqs., quod non reduci potest ad Graecum exemplar; quadrat enim in tragoedias, quarum fabulas poetae ex historia populi Romani duxerunt, sed a Plauto non factum est, cum insit in prologo. neque igitur abhorret a veritate statuere id ab illis fictum esse, qui posteriore tempore Plauti fabulas egerunt, quas sumpserunt ex scriniis magistratuum atque amplificaverunt sententiis ex tragoediis sumptis, quae erant in iisdem scriniis.

ὑδρίαν, ἐνόντος ἐν αὐτῇ καὶ ὕδατος, καθίησι τῶν Ἀριστοδήμου παίδων καὶ Κρεσφόντου τοὺς πάλους ἐπὶ διειρημένοις ...... τοὺς μὲν δὴ πάλους ..... Ἀριστοδήμου παισὶ ξηρᾶς ὑπὸ ἡλίου, Κρεσφόντῃ δὲ ὀπτῆς πυρί. ὅτε δὴ τῶν Ἀριστοδήμου παίδων πάλος κατετέτηκτο, καὶ ὁ Κρεσφόντης οὕτω λαχὼν γῆν αἱρεῖται τὴν Μεσσηνίαν. Quae fabula quam celebris apud Atticos fuerit, monstrant Euripidis fabulae Temenus et Cresphontes: praeterea eam invenimus in fragmentis Euripidis apud Strabonem (VIII. 4. pg. 563), nam ibi legimus: *περὶ δὲ τῆς φύσεως τῶν τόπων καὶ τούτων καὶ τῶν Μεσσηνιακῶν ταῦτα μὲν ἀποδεκτέον λέγοντος Εὐριπίδου· καὶ ὑποβὰς τῶν πάλων φησὶν ὧν οἱ Ἡρακλεῖδαι περὶ τῆς χώρας ἐποιήσαντο, τὸν μὲν πρότερον γενέσθαι*

γαίης Λακαίνης κύριον, φαύλου χθονὸς eqs.

Sophocles quoque in Aiac. 1182 hanc fabulam tangit:

χὤτ' αὖθις αὐτὸς Ἕκτορος μόνος μόνου
λαχών τε κἀκέλευστος, ἦλθ' ἐναντίος,
οὐ δραπέτην τὸν κλῆρον εἰς μέσον καθείς,
ὑγρᾶς ἀρούρας βῶλον, ἀλλ' ὃς εὐλόφου
κυνῆς ἔμελλε πρῶτος ἅλμα κουφιεῖν.

denique apud Aristoph. de fatis Herculis filiorum nondum in Peloponnesum profectorum nonnulla adnotantur cf. Plut. 385. Equit. 1151.

In versibus insequentibus ancilla gavisa quod viros feminae ludificant atque ludibrio habent, dicit:

Nec pol Nemeae credo neque ego Olympiae
Neque umquam ludos tam festivos fieri
Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles.

Quos versus ex Graeco exemplari emanasse, non desunt causae quibus probetur; nam Romani certe noverant ludos Olympicos, ergo si eos primo loco neque illis Nemeis adiectis nominasset poeta, nemo contendere posset, hanc mentionem ludorum alienam esse a Romanis. Cum autem Nemei ludi adiuncti ponantur et praeferantur illis Olympiae celebratis, hoc, ut opinor, est alicuius momenti, quod nos perspicere nequimus, qui tantum exponere possimus, Nemeos ludos ab eo proferri posse, qui eos bene noverit; quem Atheniensem

esse iam propterea veri simile est, quod Nemea non longe aberat ab Atheniensium urbe. Quodsi concedimus, etiam Olympiae mentio una pendet ex Graeco exemplari, cuius urbis ludos, et quae cum eis cohaerent invenias citata, apud Aristoph. vesp. 13. 82. Plut. 583. av. 1121.

In Cistellaria poeta lenam cohortantem facit puellam, ut stultum amorem unius amici ponat et contra omnes quicunque veniant, adamet, si beatam vitam degere velit, hisce verbis: (I. 1, 50)

Nam si quidem ita eris ut volo numquam Hecate fies,
semperque istam quam nunc habes aetatulam obtinebis.

Atque in priore versu in cod. B a prima manu: numquam et haec ate fies: correctum est in: numquam Hecate fies. Quo in versu, qui etiam propter metricas rationes difficultates praebet et corruptus esse videtur, valde displicet illa Hecatae mentio. Nam in versibus antecedentibus lena exponit meretricium quaestum:

Nam si haec non nubat, lugubri mihi fame familia pereat.

Inde sequitur eam, quae semper nubat, pauperem fieri non posse, atque propterea haec sententia non potest referri ad aetatem, sed ad conditionem externam, itaque Hecate non quadrat, cum re vera non pauper fuerit, neque umquam coniuncta sit cum arte meretricia. Sed unice verum, quod Pius posuit, est Hecale, quamquam subtilissimi iudicii vir oblocutus est Naekius de Hecale pg. 24.

Hecalen vero fuisse anum pauperculam accipimus ex Callimachi Hecalae epyllii fragmentis, et ex Plutarcho aliisque mythographis qui illum excerpserunt. Atque nota erat Hecale quod Theseum contra taurum Marathoniensem proficiscentem tecto receperat atque coluerat, quamvis tenui vitae conditione usa esset. Quamquam anum Hecalen poetae semper describunt, tamen praecipue inclaruit ea re, quod pauper erat, atque hoc cognoscimus ex poetis et scriptoribus, qui exacte versantur in enumerandis omnibus rebus, quae Hecalae aut defuerint aut adfuerint. Cum igitur paupertatem summi mo-

menti esse in Hecales mentione concedamus, aptissime videtur hoc loco nominata, ubi aut valde fallor aut pronuntiatur: si quidem ita eris, ut te volo, numquam eris pauper, ad quod enuntiatum accedit illa sententia: atque semper retinebis hanc aetatis florem, qua ex re etiam sequitur, priorem versum ad aetatem spectare non posse, cum aetatis mentio insit in duobus enuntiatis. Ergo rectissima est Pii emendatio, quamquam libere confiteor, me totum versum emendare non posse. Quare absoluta oritur quaestio, unde venerit Plauto haec mentio. Neque Romani ipsi Hecalen noverant nisi ex Propertii et Ovidii carminibus, qui hanc figuram sumpserunt a Callimacho, cuius epyllio illam anum inclaruisse negare non fas est. Sed quocunque modo res se habet, hoc contendere licet, Hecalae nomen iam apud Philochorum inveniri, quod conquirimus ex Plutarchi Theseo, qui Philochorum se exscribere profitetur. Cum autem Philochorus fuerit initio tertii saeculi atque illam fabulam non indagaverit, non ineptum esse videtur dicere, et quarto iam saeculo Hecalen notam fuisse, cui rei documento est pagi nomen et Hecalesiorum sacrorum mentio. Quamobrem et quod fuit pauper anus, puto eam notissimam fuisse novae comoediae, cum contra negandum sit, Alexandrinos Plauti temporibus apud Romanos quidquam valuisse, quoniam Ennius fortasse primus Alexandrinis operam dedit. Ergo si id quod disputavimus habet speciem veri, Hecales mentio non aliena est a Graecis novae aetatis comoediis.

In Curculionis fabulae versu 356 Curculio parasitus describit συμπόσιον, quod sibi paraverat miles: cenati et adpoti talos poscunt, prior iacit miles vulturios quattuor, tum Curculio:

talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem.

quo in versu Hercules sane est patronus parasitorum bibulorum et gulosorum, a quo ipsi quasi a nutrice multa et bibere et edere didicerunt. Atque hanc rem Graecum fontem redolere, inde sumpsi, quod describitur συμπόσιον; deinde nos

non fugit Herculem apud Graecos propter πολυφαγίαν cohaerere cum coena et commissatione, nam apud Pindarum (frag. 150. ed. Boeckh.), Euripid. Alcest. 747 sqs., 785 sqs., Aristophan. Lysistrat. 928 (cf. schol. ad h. l.) Athen. X. (pg. 411 sqs.) de hac re certior fieri potes. Sed hoc fortasse non multum valet ad tribuendum hunc versum Graeco poetae. Quod mihi gravissimum esse videtur, Graeci artifices non semel finxerunt Herculem ebrium (cf. Welcker. Mon. ant. 3, 415. 416) eodem consilio, quo Lysippus ille composuit eum Herculem, cui cognomen additum est ἐπιτραπέζιος, ut esset in exstructa tabula quasi deus ebrietatis. Itaque hoc versu parasitus nihil aliud dicit nisi hoc: cum parasitus sim atque semper studeam τραπέζαις accumbere, id numen invoco, quod quasi mea nutrix significat deum illum, qui tuetur illas τραπέζας; atque is est Ἡρακλῆς ἐπιτραπέζιος.

Versibus 392—393 Lyco leno Curculienem salutat:

L. Unocule salve! C. Quaeso deridesne me?
De Coclitum prosapia te esse arbitror:
Nam ei sunt unoculi. C. Catapulta hoc ictumst mihi ||
apud Sicyonem.

Posset aliquis cogitare, significari Coclitum prosapia illam Horatianam stirpem, cuius auctor in ponte Sublicio defendendo clarissimus redditus est. Sed si hoc spectasset poeta, certe non dixisset: qui sunt unoculi, nam illa gens quae fuisset, satis notum erat Romanis; praeterea Cocles non est vocabulum Latinae originis. Ergo iam Scaligerus duce Servio ad Aen. VIII. 640: luscos coclites dixerunt antiqui unde et Cyclopas coclites legimus dictos, quod unum oculum habuisse videntur: recte demonstravit, hoc loco illos Coclites esse Κύκλωπας, cum illi fuissent unoculi, quod recte iudicatum esse una cum viris doctis facile concedo. Orta autem est illa comparatio ex historia fabulari, in qua Cyclopes unoculos fuisse ex Odyssia satis constat. cf. praeterea ex Cratini Ὀδυσσέως fragm. apud Prynich. Ecl. att. p. 136 (Mein. II. pg. 100.) Μονόφθαλμον οὐ ῥητέον, ἑτερόφθαλμον δὲ . . Κρατῖνος γὰρ μονόματον εἶπεν τὸν Κύκλωπα. Spectat vero tota res ad ob-

sidionem celeberrimam Sicyonis, quam anno 303 vel post eum annum fuisse iam Droysenus (hist. Graec. I. 1. pg. 507) et Usenerus (Symbol. philol. Bonn p. 592) docuerunt. Qua obsidione ab Antigono rege facta illi oculus catapulta ictus est, cf. Aelian. V. *H.* XII, 13; quapropter *Κύκλωπος* cognomine usus est, quod Graecis omnibus notum loco Plautino respicitur. Ergo hoc Graecae originis est.

Fabulae Epidici vers. 27 sqq. Thesbrio servus ex bello reversus sic colloquitur cum Epidico familiari:

Ubi arma sunt Stratippocli?
Pol illa ad hostes transfugerunt? Armane? Atque equidem cito.
Serione dicis istuc? Serio inquam: hostes habent [1]).
Edepol facinus improbum! At iam ante alii fecerunt idem.
Erit illi illa res honori. Qui? Quia antea Achilli fuit [2]).
Mulciber, credo, arma fecit, quae habuit Stratippocles:

---

1) atque versus 29—31 voluit transponere G. Goetzius in dissertat.: symbola critica ad priores Plauti fabulas, Lipsiae 1877 p. 42 sqq., neque autem omnibus consentientibus, nam quod Goetzius tum dixit auctore Reinhardto in Fleckeiseni Nov. ann. vol. 111 (a. 1875) p. 199, abhorrere versus 35 sqq. a colore eorum qui praecedunt, in editionis praefat. pag. XXII pronuntiat, illo loco i. e. in. vers. 35 sqq. rectius de interpolatione cogitari Seyfferto duce, nam perbene possunt abesse illi versus 35—36. Turbant enim re vera connexum sententiarum, cum illud: desiste percontarier: respiciat Epidicum atque significet: quoniam tu ipse putas Stratippoclem iterum arma accipere, desine quaerere, ubi sint arma; neque ulla in re coniungatur cum illo antecedente: tu ipse, ubi lubet, finem face. Deinde autem molestum videtur Goetzio, quod Thesprio v. 32 ad rem quam modo absolverat, redit; sed haec mea quidem sententia nihil habet mirum; nam in vs. 28—31 exposuit, non turpe esse arma perdere, deinde v. 32 declarat, quomodo fieri possit, ut arma Stratippocli transvolent. Ergo quantum ego quidem videre possum, nihil est, cur transponantur illi versus, quamvis Hasper in coniectan. ad Epid. pg. 10 (Dresd. 1882 prg.) eis offendatur.

2) quod Kiesslingius perbene coniecit Mus. Rhen. vol. 24. p. 119, cum ante illum rem non totam tetigisset Muretus Var. lect. X, 10, qui in versu 30 pro aliis inseruit Achili.

Travolaverunt ad hostis. Tum ille prognatust Theti,
Sine perdat: alia adportabunt Nerei ei filiae.

Atque primum quidem versum 32 redire ad lepidissimam Homeri de tripodibus fabulam, iam dudum intellexerat Muretus V. l. X. 10: τὰ Ἡφαιστότευκτα plerumque animata erant: ut illi tripodes, de quibus apud Aristotelem primo Politicorum, quos ait Homerus αὐτομάτους θεῖον δυέσθαι ἀγῶνα, legi potest. Deinde Nerei filias Achilli arma adportavisse, quibus instructus in bellum profectus est, docet canticum Eurip. Electr. (442):

> Νηρῇδες δ' Εὐβοΐδας ἀκτὰς λιποῦσαι
> Ἡφαίστου χρυσέων ἀκμόνων
> μόχθους ἀσπιστὰς ἔφερον τεύχεων eqs.

Haec ipsa arma induerat Patroclus atque perdiderat. Ergo poeta cum dicit 'alia adportabunt', respicit ad illam priorem Nereidum expeditionem atque putat, quod antea Nereides arma portaverunt, eas iterum illa nova arma attulisse. Quo ioco modo ille uti potuit, qui totam istam fabulam praesto habuit, quod a Plauto impetrare nequimus, verum a Graeco poeta, quem non fugit, talem narrationem apud Euripidem exstare. Hac igitur re apparet, nobis occurrere apud Plautum res Romanis omnino ignotas; atque Goetzius l. l. falso iudicat cum censet, poetam alludere his versibus rem, quae ut nobis ignota est, ita illo tempore multorum in ore fuerit, atque non sine aliqua dubitatione in castra Schmiederi transit, qui dicit: Caium, opinor, Terentium Varronem in mente habet, cladis Cannensis auctorem temerarium. Sed vide quam raro poetae post Naevium in comoediis personas aggressi sint; quid denique in illis versibus est, quod nobis persuadeat, hanc rem respici? Immo ad historiam fabularem tota res referenda est, nam modo de Achille verba fiunt. Atque re vera arma perdidisse nonne Achilli erat non opprobrio? Ceterum Nereides, quae Achilli arma adportant, non semel pictae sunt in vasis cf. exempli gratia Overbeck. monum. heroic. tab. XVIII, 13. tab. XVII, 1.

In versu 604 deinde fidicina Acropolistis, quod Periphanem hominem illi ignotum patrem sibi vindicaverat, cum Circe componitur:

Abi modo intro atque hanc adserva Circam, Solis filiam.

Atque Circam filiam Solis esse, narratur in Hom. Od. *K*, 136: *ἄμφω* (scil. Circe et Aeetes) *δ' ἐκγεγάτην φαεσιμβρότου ἠελίοιο.* cf. praeterea Hesiod. theog. 957. Deinde propter artem hominum figuras mutandi nominatur a Cassandra in Eurip. Troad. 438:

Αἰγυστίς θ' ἡ συῶν μορφώτρια Κίρκη. Quod autem summi momenti est, in Aristoph. Plut. 300 sqq., ubi Carion servus pauperes agricolas divites fore nuntiavit, ille Carion componitur, quod nuntio eos divites fecerat ex pauperibus, cum Circe tali modo:

ἐγὼ δὲ τὴν Κίρκην γε τὴν τὰ φάρμακ' ἀνακυκῶσαν,
ἣ τοὺς ἑταίρους τοῦ Φιλωνίδου ποτ' ἐν Κορίνθῳ
ἔπεισεν ὡς ὄντας κάπρους
μεμαγμένον σκῶρ ἐσθίειν, αὐτὴ δ' ἔματτεν αὐτοῖς,
μιμήσομαι πάντας τρόπους. praeterea confer Anaxilae comoediae ΚΙΡΚΗϹ fragmentum (Mein. III. 343) *τοὺς μὲν ὀρειονόμους ὑμῶν ποιήσει δελφάκας ἠλιβάτους, τοὺς δὲ πανθῆρας, ἄλλους ἀγρώστας λύκους, λέοντας.* Itaque fidicina, quae Periphanem in suum patrem mutaverat, perbene Circae cognomine deludi potuit.

Tum in versu 673 alter senex Apoecides petit a Periphane, ne adducat Epidicum, cum ille sit homo perniciosus:

Apage illum a me, nam ille quidem Volcani iratist filius;
Quaqua tangit, omne amburit. prope sist, aestu calefacit.

Comparatur ergo Epidicus cum igne, qui secundum volgatam illam metonymiam, de qua supra egimus, Volcani vocatur filius; potest autem fieri, ut certus filius Volcani hoc loco respiciatur; atque propter illud: quaqua tangit, omne amburit: forsitan aliquis cogitare possit de Spinthere, quem filium Volcani esse Hyginus in fabul. 158 testis est, quamquam hoc non pro vero venditare volo, nam potest esse fabula nobis satis ignota.

In versu denique 178 huius fabulae alter senex alteri vitio dat, quod aliam uxorem in matrimonium ducere velit, satis illi esse debere, eam uxorem quam antea habuerit, vivendo vicisse: respondet alter senex Periphanes:

Hercules ego fui, dum illa mecum fuit:
Neque sexta aerumna acerbior Herculi quam mi illa obiectast.

Sed primum quidem inquirendum videtur, quae fuerit sexta aerumna Herculis, atque Kiesslingius Mus. rhen. XXIII p. 418 adn. 2, ubi de numero sex apud Plautum disseruit, dicit: natürlich ist diese sexta aerumna nicht auf den Gürtel der Hippolyta — trotz Men. 200 — zu beziehen, sondern entweder auf die Heraufholung des Cerberus als letzte Arbeit, oder auf die Hydra, mit der der Dichter unerträgliche Ehegattinnen auch sonst öfters vergleicht. Quod ut refellam, Plautus tantum duobus locis feminam componit cum excetra, atque ne his quidem locis femina est uxor conviciabunda, sed ancilla, in quam invehitur leno Ballio cf. Pseudol. 218., Cas. III. 5, 19. Praeterea autem aerumna per Hydram effecta obtinet alium locum, quamobrem non potest nominari sexta. Ergo de Hydra actum est. Deinde autem non intellego, quid sit quod nos prohibeat ne sextam aerumnam esse pugnam cum Amazonum regina statuamus. Conferamus hanc ob causam Menaech. 200., res eadem est, vir pugnat cum femina, cui pallam surripit, atque haec pugna vocatur Herculis aerumna Hippolytae:

Nimio ego hanc periculo
surrupio hodie. meo quidem animo ab Hippolyta subcingulum,
Hercules haud aeque magno umquam abstulit periculo [1]).

Unum concedere cogor, quamquam in comparatione nihil inest, quod non probet pugnam cum Hippolyta, tamen est alia causa, qua permotus fortasse quis dixerit, illam aerumnam aliam Herculis pugnam esse. Est enim mirifica sexta aerumna, cum apud omnes scriptores, qui de hac re egerunt, sexta

1) nempe hoc discrimen interpositum est: cum hic modo de subrepto cingulo agatur, illic respicitur clades Hippolytae, qua occisa est.

aerumna minime sit pugna cum Hippolyta. Atque aerumnas in duodenarium numerum compositas fuisse, Euripides testis est, cum etiam denarius numerus exstet ut in ornamentis templi Thesei. Quibus cum rebus si coniungimus Diodori (V, 10—26) Apollodori (II, 5) Hygini (30) enumerationes, amazonum reginae pugna vel octavum vel nonum locum obtinet. Tali ex comperatione evincimus etiam, certum aerumnarum ordinem exstare apud nullum scriptorem, exceptis duobis primis et extremis ἄθλοις, quibus continentur pugna cum leone, cum Hydra, cum Cerbero, pomae Hesperidarum. Ac ne hoc quidem ullius momenti ad conficiendam nostram disquisitionem est, quod ex posterioribus temporibus enumeratio in Append. Planud. XVI. 92 exstat, ubi miro quodam casu sextum locum Amazones obtinent. Quid? quod etiam illa aerumna in metopis templi Iovis Olympici sexto loco nominata nihil valet, cum Pausanias verbis: *ἔστι δὲ ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ Ἡρακλέους τὰ πολλὰ τῶν ἔργων*, testificetur, illas aerumnas non ἆθλα quae dicuntur esse. Quae cum ita sint, aliquis negare potest, sextam aerumnam esse pugnam cum Hippolyta factam, quamquam non magna cum specie veri. Ergo certum ad finem pervenire non possumus, cum Plautino loco aerumnam et esse pugnam Hippolytae et minime esse posse statuere, non abhorreat a veritatis specie. Quamobrem sat esse debet pronuntiare, illam aerumnam certe ex Graeco fonte sumptam esse, ubi fortasse illo 'sexta' vocabulo adiecto iocus efficiebatur, quem nos perspicere non possumus.

In **Mercatoris** v. 469 Charinus adulescens, se nullum iam esse, adfirmans dicit, se longe peiore fortuna uti quam Pentheum, quem Bacchae discerpserint:

Pentheum diripuisse aiunt Bacchas, nugas maxumas
Fuisse credo, prae quo pacto ego divorsus distrahor.
Cur ego vivo, cur non morior, quid mist in vita boni?

quibuscum versibus coniungo locum ex Vidularia apud Priscian. pg. 738: eiusdem Bacchae fecerunt nostram navem Pentheum: ubi cum Bacchis componuntur vel fluctus vel tempestas. Sed

hoc respicit fabulam inde ab Aeschylo nobilem, Euripidis Bacchis celebratam. Antiphanes quoque et Lysippus comici poetae huic fabulae operam dederunt, cum relicti sint tituli fabularum illorum poetarum *'Βακχῶν'*, quamquam non constat, num in eis illud Penthei fatum expositum sit.

In versu 690 pater meretricis, quam filius donum matri emerat, pulchritudine captus sibi ipsi usui esse cupit; quo consilio viri perspecto et domininae nuntiato ancilla occassione illam conspiciendi parta dicit:

i hac mecum, ut videas simul
tuam Alcumenam pellicem, Iuno mea.

Hoc loco poetam rem Romanis ignotam tractare apparet inde, quod explicandi causa addit: pellicem. Intelligentibus enim 'tuam Alcumenam' satis fecisset. Atque sicut metonymice Ulixem pro socio, Nestorem et Thalem pro sapiente usurpari vidimus, sic Alcumenae nomen induit notionem pellicis, qua via praeivit Aristophanes av. 557:

καὶ τοῖσιν θεοῖσιν ἀπειπεῖν
διὰ τῆς χώρας τῆς ὑμετέρας ἐστυκόσι μὴ διαφοιτᾶν
ὥσπερ πρότερον μοιχεύσοντες τὰς Ἀλκμήνας κατέβαινον
καὶ τὰς Ἀλόπας καὶ τὰς Σεμέλας

Porro in v. 488 filio lamentanti quod pater puellam vendere animum induxerit, adest amicus qui patrem se defraudaturum et semet ipsum puellam empturum esse pollicetur:

Sed unde erit argentum?
Achillem orabo, aurum ut mihi det, Hector qui expensus fuit.
Tauti quanti poscit, vin tanti eam emi?[1])

Conferas fragmentum ex Diphili *Ἐμπόρῳ* sumptum, quo explicatur, aliquem pro congro tantum solvisse, quantum Priamus pro Hectoris corpore solverit:

---

1) Quamquam in illa scena vestigia retractationis inveniuntur, cum bis quaeratur, unde repetendum sit argentum, tamen puto mentionem Hectoris non tribuendam esse retractatori, quod ille retractator certe amplificavit exempla, neque vero ipsa exempla inseruit.

γόγγρον μὲν ὥσπερ ὁ Πρίαμος τὸν Ἕκτορα
ὅσον εἵλκυσεν, τοσοῦτο καταθεὶς ἐπριάμην.

Quo in loco *εἵλκυσεν* sicut apud latinum poetam 'expensus fuit' eandem rem respicit, quae in Aeschyli tragoedia *Φρυξὶ ἢ Ἕκτορος λύτροις* tractata fuit. Nam scholiasta ad Iliad. *Κ*, 351, hoc profert: *ἡ διπλῆ, ὅτι ὑπερβολικῶς λέγει· ὁ δὲ Αἴσχυλος ἐπ' ἀληθείας ἀνθιστάμενον χρυσὸν πεποίηκε πρὸς τὸ Ἕκτορος σῶμα ἐν Φρυξί.* praeterea hoc invenitur in nonnullis vasis pictis cf. Overbeck. l. l. tab. XX.

Versu denique 945 Charinus narrat amico, cum Zacynthi apud hospitem fuisset, illum iam pronuntiavisse, amicam suam Athenis degere; cui respondet Eutychus:

Calchus quidem Zacynthiust [1]).

i. e. cum ille hospes verum pronuntiaverit, verus est vates, sicut Calchas, quem vatem Graecorum fuisse satis notum ex Iliade est; praeterea autem hoc proverbialiter dictum est, ut illud Aristophaneum *ἄνθρωπος Θαλῆς*. Calchantis mentio in fragmentis comoediae novae casu non exstat, sed pertinet illa ad Iliad. *Α*. 69 sqq.:

τοῖσι δ' ἀνέστη
Κάλχας Θεστορίδης, οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος
ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

In militis gloriosi versu 1245 interroganti militi, utrum feminae obviam eundum sit necne, dissuadet servus:

---

1) Quomodo Plautus regiones in Graecis exemplaribus descriptas non mutaverit, apparet ex versu 645.
Sed quam capiam civitatem cogito potissimum: Megares, Eretriam, Corinthum, Cretam, Cyprum, Sicyonem, Cnidum, Zacynthum, Lesbiam, Boeotiam; quae omnes sunt Graecae regiones. Cui loco adiungo Curculion. v. 443:

quia enim Persas, Paphlagones,

Sinopas, Arabes, Caras, Cretanos, Syros, sqs., ubi Kiesslingius perbene pro Cretanis Syris coniecit 'cretatos' Syros, quod Plautus vertens ex Graeca lingua inseruit pro λευκοσύρων vocabulo.

Atque haec omnia nonnullius momenti sunt in constituenda ratione Plauti comoedias transferendi.

femina contra veniat, illum exspectet, desideret, atque miles caveat, ne perdat gloriam:

nam nulli mortali scio hoc optigisse nisi duobus
tibi et Phaoni Lesbio tam vesane ut amarentur.

Quam fabulam Phaonis non inveniri nisi in comoediis novae et mediae aetatis Welckerus bene demonstravit, itaque modo ex eis haurire potuit Plautus. Habemus etiam ex Platonis comici comoedia Phaone fragmentum, quo narratur: Phaonem in interiore parte aedium inclusum accurrunt undique mulieres Veneris oestro impulsae et cum Phaone congredi gestientes [1]), cuius fabulae similem comoediam conscripsisse videtur Antiphanes. Denique in Menandri *Λευκαδίας* comoedia, quae ad eandem rem spectat, legimus:

οὗ δὴ λέγεται πρώτη Σαπφὼ
τὸν ὑπέρκομπον θηρῶσα Φάων'
οἰστρῶντι πόθῳ ῥῖψαι πέτρας eqs.

quae partim sponte commonefaciunt eorum, quae apud Plautum praecedunt proxime:

nam tu te vilem feceris, si te ultro largiere:
sine ultro veniat, quaeritet, desideret, exspectet.

Nunc duo loci huius fabulae una tractandi sunt, v. 61:

rogitabant: hicine Achilles est?

v. 1054: Age, mi Achilles, fiat, quod te oro: ubi miles et a servo et a muliere nominatur Achilles propter formam et fortitudinem; atque Achillem pulcherrimum et fortissimum in Iliade describi iam omnibus notum est.

Praeterea exstat hic versus:

Atque is Alexandri praestare praedicat formae suam,
itaque omnes se ultro sectari in Epheso memorat mulieres.

Cui hos versus legenti non statim in mentem venit illud, quod Hector Iliad. *Γ*. 39 dicit:

Δύσπαρι εἶδος ἄριστε, γυναιμανὲς, ἠπεροπευτά.

Ergo de Alexandro magno cogitare non licet.

---

1) cf. Meineck. Histor. crit. p. 186. Meineck. frg. com. II. pg. 672 eqs.

Denique in versibus 1285 sqq. Pleusicles enumeraturus eos qui propter amorem inhonesta admiserunt, dicit:

Mitto enim ut occidi Achilles civis passus est, quae sententia referenda est ad Achillis iram ortam ex Briseidis amore, qua ne pugnae interesset prohibitus Achaeis maximas clades paravit.

In Mostellariae versu 528 senex larvas versari in domo sua ratus a Tranione servo iubetur invocare Herculem:

Atque Herculem invoca. Hercules te invoco.

Qui Hercules est Ἡρακλῆς ἀλεξίκακος, qui tota Graecia colebatur, quem in rebus adversis vel ut adiuvaret vel ut malum adverteret, a Graecis invocatum esse accipimus ex Graecis comoediis, cf. Aristophan. Acharn. 284, ubi nonnulli Dicaiopolin aggressi sunt: Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἔστι; τὴν χύτραν συντρίψετε. vel nub. 184: ὦ Ἡράκλεις, ταυτὶ ποδαπὰ τὰ θηρία. cf. av. 93. vel vesp. 420: Ἡράκλεις καὶ κέντρ' ἔχουσιν· οὐχ ὁρᾷς, ὦ δέσποτα; vel ran. 298 cf. Antiphan. Ἀλιευομένης frag. (Mein. III. pg. 12.)

Τὰς σηπίας δὸς πρῶτον. Ἡράκλεις ἄναξ,
ἅπαντα τεθολώκασιν.

cf. Alexidis Παγκρατιαστοῦ frag. (Mein. III. p. 461)

Πρῶτον μὲν ἦν σοι Καλλιμέδων ὁ Κάραβος,
ἔπειτα Κόρυδος . . . . . .
. . . . Ἡράκλεις φίλε,
ἀγοράσματ' οὐ συμπόσιον εἴρηκας, γύναι.

Denique certe ex comoediis legimus in Suida, Et. M., Hesychio: Ἡράκλεις, ὡς ἀλεξίκακον τὸν Ἡρακλέα εἰς βοήθειαν ἐκάλουν γενομένης βίας.

In Persae fabulae versibus primis quasi enumerationem aerumnarum Herculis habemus, Toxilus enim servus haec dicit:

Qui amans egens ingressus est princeps amoris in vias,
Superavit aerumnis suis aerumnas omnes Herculi,

Nam cum leone, cum excetra, cum cervo, cum apro Aetolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antaeo deluctari malui,
Quam cum amore. Qua in re hoc non praetermittendum est, forte fortuna vel ignorantia Plauti pro Erymanthico apro illum Aetolicum insertum esse; deinde suo iure Kiesslingius hoc ex loco coniecit, numerum aerumnarum redactum esse ad sex aerumnas fortasse a Plauto ipso, nam cur dicit poeta 'omnes aerumnas', cum re vera modo sex proferat? Quod attinet ad ordinem aerumnarum, negari non potest, illum et consentire cum omnibus enumerationibus modo sexta aerumna excepta, nam hoc loco Antaei proelium laudatur. Sed qui hanc enumerationem fecit, non solum ἆθλα Herculis novit, sed etiam illius parerga, quod apparet ex adiecta pugna Antaei, quae minime in numero ἄθλων habenda est. Atque talem notitiam historiae fabularis Graecorum Plautum habuisse, nemo est qui putet, ergo etiam hoc tribuendum est Graeco exemplari. Antaei vero pugnam Atheniensibus notam colligas ex ornamentis Thesei templi, in quibus proelium cum Antaeo commissum pictum esse scimus, quod oppugnat Overbeckius, qui illo loco pugnam cum Geryone representatam esse verisimilius censeat. Denique Pausanias IX. 11, 4 nescio quo ex fonte, cum de Herculis templo Thebano verba facit, dicit: *Θηβαίοις δὲ τὰ ἐν τοῖς ἀετοῖς Πραξιτέλης ἐποίησεν τὰ πόλλα τῶν δώδεκα καλουμένων ἄθλων· καί σφισι τὰ ἐς τὰς ὄρνιθας ἐνδεῖ τὰς ἐπὶ Στυμφάλῳ καὶ ὡς ἐκάθηρεν Ἡρακλῆς τὴν Ἠλείαν χώραν. ἀντὶ τούτων δὲ ἡ πρὸς Ἀνταῖον πάλη πεποίηται.* Ergo cum haec aerumna coniungatur cum artifice Atheniensi saeculi quarti, dubium esse non potest, quin illa tum in ore omnium fuerit.

Deinde in versu 24 Toxilus professus se saucium factum esse in Veneris proelio, quaeritanti Sagaristioni, amentne servi, sic respondet:

Quid ego faciam? deisne advorser quasi Titani? cum eis belligerem?
Quibus sat esse non queam?

Ad pugnam deorum cum titanis, quam hi versus respiciunt,

non semel spectant poetae in Iliad. Θ. 478 sqq., Ξ. 270 sqq.; adde quod Arctinus Milesius Titanomachian composuisse fertur, tum Euripides in Hecubae vs. 473 sqq. eos profert:

ἢ Τιτάνων γενεὰν
τὰν Ζεὺς ἀμφιπύρῳ
κοιμίζει φλογμῷ Κρονίδας;

denique Eupolidis et Cratini supersunt tituli fabulae *Τιτάνων*. Quod autem iam Naevius belli Punici lib. I. frag. 18 v. 25 (ed Vahl.) bicorpores Titanos commemorat, inde mea quidem sententia nihil aliud colligitur nisi et Plautum et Naevium Graecum fontem usurpavisse, quod admirationem movere minime potest, si quidem hic tragoedias, ille comoedias Graecorum transtulit.

In Poenuli vs. 442. ero quaeritanti:

Credin quod ego fabuler?

servus respondet:

Si nequeo facere ut abeas, egomet abiero.
Nam isti quidem hercle orationist Oedipo
Opus coniectore, qui Sphingi interpres fuit.

Et simili modo iocatur Davus Terentianus (Andr. 194).

Dav.: non hercle intellego. Si. non? hem. Dav. Non: Davus
sum, non Oedipus.

Quibus duobus locis, qui pendent ex Graeca fabula, collatis, facile est intellectu, quid in illis versibus Plauto ipsi tribuendum sit. Hominibus litterarum Graecarum peritis, quales erant Terentii lectores, satis fecisset 'Oedipo opus est coniectore', atque sic certe scriptum erat in fabula Graeca; Plautus autem, ut facilius intellegeretur, nonnulla declarandi causa adiunxit. Ergo quod iam in Aulularia evicimus, amplificationes, quae adiectae sunt ut res cognosceretur, semper redolent officinam Plautinam, cum res ipsa referenda sit ad Graecum exemplar. Atque in attica comoedia idem iocus translatus ad meretricias artes ab Anaxila in *Νεοττίδος* fragmento est (Meineck. III. p. 348.):

Σφίγγα Θηβαίαν δὲ πάσας ἔστι τὰς πόρνας καλεῖν.
εἶθ' ὁ μὲν γνοὺς ταῦτ' ἀπῆλθεν εὐθὺς ὥσπερ Οἰδίπους.

In Pseudoli versu 1063 Simo percontatur num Pseudolus, sicut promiserat, puellam Ballioni lenoni eripuerit:

Visso quid rerum meus Ulixes egerit,
Iamne habeat signum ex arce Ballionia.

Quod spectat ad Palladium ex arce Troiae subreptum ab Ulixe et Diomede. ad eandem rem ludit Aristoph. vesp. 350 sqq.:

ἔστιν ὀπὴ δῆθ' ἥντιν' ἂν ἔνδοθεν οἷός τ' εἴης διορύξαι
εἶτ' ἐκδῦναι ῥάκεσιν κρυφθείς, ὥσπερ πολύμητις 'Οδυσσεύς.

Quocum loco coniungendus est versus 1244 huius fabulae:

Superavit dolum Troianum atque Ulixem Pseudolus. Quoniam Ulixes coniungitur cum dolo Troiano, hoc spectare potest. aut ad Palladium raptum — atque hoc tibi fortasse rectum esse videtur, cum in scena priore de palladio agatur — aut ad illam quam vocant *πτωχείαν* Ulixis. Quod me iudice veri est similius, nam in 949 Bacchid., ubi de eodem dolo agitur, enarratur, Ulixem 'facta Iliorum' exquisivisse, quod non quadrat in raptum Palladium, sed in illam *πτωχείαν*, cf. Hom. Odyss. *Δ*. 240 sqq. Huc accedit, quod apud Plin. 35, 138 dicitur de numerosa tabula Aristophontis, in qua sunt Priamus Helena Credulitas Ulixes Deiphobus Dolus. Atque Otto Iahn disserens de hac re in annal. archaeologic. ann. 1847 pg. 127, exponit totam tabulam spectare ad Ulixis explorationem urbis Troiae, qua in re instituenda ab Helena agnitus est. At alia quoque causa est, cur ille dolus esse debeat *πτωχεία* Ulixis, non palladium raptum. Neque enim cardo in ea re vertitur, quod in illa scena lenoni aliquid eripitur, sed quod Pseudolus perficit, ut leno subditivum Harpagem putet esse verum nuntium militis; atque tale aliquid non inest in Palladio rapto, sed in Ulixis *πτωχείᾳ*, ubi ille veste mutata prohibet, quominus a Troianis agnoscatur, et re vera mendicus habetur. Itaque id ad Ulixis explorationem referendum esse nunc demum satis constat.

In v. 199 Ballio singulis meretricibus imperaturus quid faciant, Aeschrodorae edicit hocce:

Aeschrodora, tu quae amicos tibi habes lenonum aemulos
Lanios, qui item ut nos iurando iure male rem quaerunt, audi:
Nisi carnaria tria gravida tegoribus onere uberi hodie
Mihi erunt, cras te, quasi Dircam olim ut memorant duo gnati Iovis
Devinxere ad taurum, item hodie constringam ad carnarium,
Id tibi profecto taurus fiet.

Hoc spectat ad Dircae supplicium in Euripidis Antiope narratum, cf. Apollod. Biblioth. III. 5, 5. *οἳ δὲ ἀναγνωρισάμενοι τὴν μητέρα τὸν μὲν Λύκον κτείνουσι, τὴν δὲ Δίρκην δήσαντες ἐκ ταύρου θανοῦσαν* eqs. Idem tractavit Eubulus in Antiope comoedia, qua Euripidis fabulam lusisse videtur.

Tum in versu 869 procedit coquus atque gloriatur se, ut Medeam Peliam, ita Ballionem medicamentis rursus iuvenem redditurum esse:

Item ut Medea Peliam conquoxit senem . . . . .
Item ego te facio.

Si hac in re Plautus lusit sciens, sicut voluit Camerarius, cum pro Aesone Peliam poneret — Medea enim ut re vera Aesonem ex sene adulescentulum fecit, Peliam tamen idem beneficium pollicita auxilio filiarum necavit — si igitur consulto Plautus significare voluisset, coquum his verbis operam minime adiutabilem Ballioni promittere, vix puto, ullum spectatorem huius ioci cacumen sensurum fuisse. Itaque tota res ex Graeco exemplari pendet. Sed potest aliquis obverti, quod Cicero quoque in de senectute libr. § 83: quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit nec tamquam Peliam recoxerit: eandem rem narravit. At sicut Cicero memoria deceptus esse videtur, sic Plautum quoque in eundem errorem incidisse statuere licet. Sed vereor, ne Ciceronis potius error e nostro loco natus sit,

quem profectum a veterum comicorum lectione Catonem composuisse, quaevis fere docet pagina: et Pseudolum quoque eum his ipsis diebus legisse, meo mihi iure conicio ex § 50: quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? quam gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pseudulo! Ceterum coqui cum Medea comparati quam non alieni sint ab attica comoedia, discimus ex Aristoph. equit. 1321: *τὸν Δῆμον ἀφεψήσας ὑμῖν καλὸν ἐξ αἰσχροῦ πεποίηκα*, ad quem versum adnotat scholiasta: *καλῶς ὡς μάγειρος ὥσπερ ἡ Μήδεια λέγεται.* Praeterea habemus titulos Medeae comoediae Antiphanis, Eubuli, Canthari, Strattidisque, atque Medea mentio invenitur etiam in Eubuli fragmento (Mein. III. 260):

εἰ δ' ἐγένετο κακὴ γυνὴ Μήδεια.

De rege Iasone in versu 193 cf. infra.

In Rudentis v. 86 servus qui quae ventus fecerit miratur, dicit:

Non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi.

Iam Euripidis nomen satis demonstrat, hanc rem pendere ex Graeco exemplari, nam si Plautus hoc sumpsisset ex tragoedia Romanorum, certe loco Euripidis eum nominasset, qui Alcmenam verterat. Quam rem ludat poeta, non facile est intellectu; atque primum potest aliquis cogitare de tempestate, quam in Amphitruone Plautina ipsa descriptam habes cf. 1061:

nam ubi partuis deos sibi invocat,
strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus subito: ut propere ut
valide tonuit.

Sed Engelmannus (Annal. d. Instit. 1872 pg. 14—16) non sine aliqua specie probabilitatis nixus vasculo picto exposuit, Euripidem primum in Alcmena narravisse, Amphitruonem, ut puniret uxorem infidelem, eam combusturum fuisse; quod ne faceret eum ab Iove ipso, qui tonitru et fulmine suae praesentiae signum dedit, impeditum esse. Ad

quam summo periculo vitae ab Iove liberatam Alcmenam Euripidis spectavit poeta Graecus, quem Plautus secutus est, cum tempestatem propter extensum tonitru et fulmen compararet cum ea, qua praesentia Iovis in Euripidis Alcmena indicebatur.

Deinde in versibus 604 sqq.:

Natas ex Philomela atque Progne esse hirundines:
Ago cum illa, nequid noceat meis popularibus:

senex Daemones somniavit, simiam hirundines populares suas sectatam esse. Atque hanc rem nemo perspicere potest nisi qui legerit vs. 737 sqq.:

Nam altera haec est nata Athenis ingenuis parentibus.
Quid ego ex te audio? — Hanc Athenis esse natam liberam.
Mea popularis, opsecro, haec est. Non tu Cyrenensis es?
Immo Athenis natus altusque educatusque Atticis.

Ergo cum illo loco exponatur, Daemonem esse Atheniensem, et notum sit, Philomelam et Prognen esse filias Pandionis regis Atheniensium, hac comparatione poeta exprimit, Athenienses etiam in extremis terrae regionibus semper cives tueri. Quam ob rem hoc certe pertinet ad Graecos spectatores, qui quae fuerint Philomela et Progne non ignorabant, quarum mentio in fragmentis comoediae casu interiit. Sed hoc Graeci quidem pueri sciebant, finxit enim *Πρόκνην* Sophocles.

Deinde in vs. 509 Labrax leno conquestus, se periisse Neptuni iniuria atque bona perdidisse, Charmidem accusat, quod ut in Siciliam proficisceretur sibi persuaserit. Et Charmides haec convicia regerens, quod paeniteat se hospitii lenonis, queritur:

Scelestiorem cenam cenavi tuam
Quam quae Thyestae anteposita et Tereo.

De Tereo ex fabula *Πρόκνης* omnia nota sunt; dapes vero Thyesteae, i. e. *δεῖπνα Θυέστεια* inveniuntur in Aeschyl. Agam. 1563: *παρέσχε δαῖτα παιδείων κρεῶν.* Multo autem aptiorem locum adscribo ex Euripide, cf. Orest. 1008:

τῶνδέ τ' ἀμείβει θανάτους θανά —
των τά τ' ἐπώνυμα δεῖπνα Θυέστου eqs.

Tum in versu 160. huius fabulae Sceparnio duas virgines in litore sedentes, quas fluctus ex navi ad litus adverterant, conspicatus exclamat:

Set o Palaemon, sancte Neptuni comes,
Qui Herculis socius esse diceris.

cf. Euripid. Iph. Tauric. 268, ubi pastor duobus adulescentibus in litore conspectis exclamat:

ὦ ποντίας παῖ Λευκοθέας, νεῶν φύλαξ,
Δέσποτα Παλαῖμον, ἵλεως ἡμῖν γενοῦ.

Atque *Παλαίμων* quem Romani Portunum appellant, naufragorum numen, ideoque apte Neptuni comes vocari potest, quod etiam Prellerus in mythol. Graec. I. pg. 494 satis comprobavit. Quid vero significet 'Herculis socius', satis obscurum est, neque ullum fructum capimus ex Apollodoro (II. cp. 7.) qui Palaemonem Herculis filium dicit ἐξ Αὐτονόης τῆς Πειρέως. Sed hoc certum est Melicerten nomen Palaemonis esse Phoeniciae orginis et idem significare atque Herculis nomen Phoenicium *Μαλίκαρθον* vel Melcart. Sequitur, ut quaedam 'familiaritas intercedere debeat, quo accedit, quod in titulo Boetico *Παλαίμων* est cognomen Herculis (cf. Keil. inscript. Boeot. 84. 85), atque hanc rem apud Lycophronem quoque, ubi Palaemon est ἐπώνυμον Ἡρακλέους invenimus, cf. 663:

τοῦ Κηραμύντου, Πευκέως, Παλαίμονος, atque scholiast. ad hunc locum, qui in Hercule Palaemone Herculem ἀλεξίκακον inesse putat. Quodsi consideramus Palaemonem numen naufragorum quasi deum defensorem esse, non inepte vocari potest Herculis socius. Sed quocunque modo res se habet, quam nunc ad finem perducere huius loci non est, dubitari non potest, quin mentio Palaemonis sit Graeci coloris, cum apud Latinos frustra quaeras locum, quo familiaritas Herculis et Portuni declaretur.

Restat huius fabulae versus 761, ubi leno cum feminas abducere non possit, dicit se adducere velle Volcanum:

Volcanum adducam, is Venerist advorsarius.

Leno volt puellas comburere, quamobrem abit ignem quaesiturus. Quod autem hoc versu ad inimicitias Volcani [1]) et Veneris adluditur, id ex lasciva Homeri fabula de Aphroditae atque Aris amore repetitur.

De versu denique 1001 vide quae supra ad Captivorum v. 274 diximus.

In initio Stichi legimus:

Credo ego miseram fuisse Penelope, soror, suo ex animo,
Quae tam diu viro suo vidua caruit.

Quam Penelopae mentionem ex Odyssia sumptam esse luce clarius est. Et quamvis ex fragmentis comoediae Graecae nihil afferre possimus, quod demonstret, quo ex fonte haec mentio effluxerit, tamen hunc fontem Graecum esse nemo negabit, qui recordetur ex Aristophane, quomodo poetae comici Graeci ex Odyssia eiusque fabulis hauserint; cf. exempli gratia vesp. 180, ubi *Βδελυκλέων* asino lente progredienti dicit:

τί στένεις, εἰ μὴ φέρεις
'Οδυσσέα τιν'.

---

1) Volcani mentio non semel nobis occurrit in Plautinis fabulis. Atque in omnibus locis eius nomen per metonymiam pro igni usurpatur velut Aulul. 359:

quid? impurate, quamquam Volcano studes eqs., quod pertinet ad coquum Congrionem, Amphitruon. 341:

Quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu conclusum geris?

Men. v. 329:

Dum ego haec appono ad Volcani violentiam.

Iam Brixius adnotavit hanc metonymiam transire modum comoediae, atque sumptum esse ex Graeco exemplari, ubi ad aliquid tragici alluditur; quacum re coniungendum est, quod legimus in Terent. Eunuch. IV. 5, 6: sine Cerere et Libero friget Venus; atque hoc non abhorret ab illo Euripideo: (cf. Athen. 6. pg. 270 c. Dindorf. 887) ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' οὔ. Tum Ἥφαιστον esse mentonymiam ignis iam in Iliade invenimus, cf. Φ. 330 eqs. et Β. v. 425 eqs.:

καὶ τὰ μὲν ἄρ σχίζῃσιν ἀφύλλοισιν κατέκαιον,
σπλάγχνα δ' ἄῤ ἀμπείραντες ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο.

denique cf. Aristoph. Plut. 661: πέλανος Ἡφαίστου φλογί.

Deinde versu 305 huius fabulae Pinacium a Philomela ad portum missus revertitur et ad dominam contendens, ut eam augeat insperato bono, haec verba profert:

Contundam facta Talthubi contemnamque omnis nuntios:
Simulque cursuram meditabor ad ludos Olympios.

Talthybium fuisse nuntium Agamemnonis inter omnes constat ex Homeri Iliad. *Α*. 320:

οὐδ' Ἀγαμέμνων
λῆγ' ἔριδος, τὴν πρῶτον ἐπηπείλησ' Ἀχιλῆι,
ἀλλ' ὅγε Ταλθύβιόν τε καὶ Εὐρυβάτην προσέειπεν,
τώ οἱ ἔσαν κήρυκε καὶ ὀτρηρὼ θεράποντε.

Atque introducitur Talthybius ab Euripide in Troadibus tragoedia:

Ἑκάβη, πυκνὰς γάρ οἶσθά μ' εἰς Τροίαν ὁδοὺς
ἐλθόντα . . . .
ἐγνωσμένος δὲ καὶ πάροιθέ σοι, γύναι,
Ταλθύβιος ἥκω, καινὸν ἀγγέλων λόγον, quo *λόγῳ* continetur narratio omnnium malorum, in quae Hecuba eiusque familia inciderunt. Tum in Eurip. Hecubae. vs. 503 legimus:

Ταλθύβιος ἥκω, Δαναϊδῶν ὑπηρέτης,
Ἀγαμέμνονος πέμψαντος, ὦ γύναι, μέτα.
Σὴν παῖδα κατθανοῦσαν ὡς θάψῃς, γύναι,
ἥκω μεταστείχων σε. Atque etiam hoc loco Talthybius miserias pronuntiavit Hecubae. Si consideramus, loco Plautino Pinacium gavisum esse, quod nihil nisi boni aliquid dominae nuntiare possit, atque ob hanc causam exponere, se meliorem nuntium quam Talthybium esse, qui modo mala narrat Hecubae, nemo negabit illud Plautinum hanc rem respicere, qua narratur, Talthybium nuntium mali esse. Ergo si hoc paratragodumenon habet quandam vim, debet fuisse in ea fabula, quae statim recurrit ad illud Euripideum, i. e. in Graeca fabula. Sed alia causa exstat, qua firmetur, hunc locum quodam vinculo coniunctum esse cum tragoediis vel quae eas decerpserunt, comoediis Graecis. Nam Pinacium

ineunte scena memorat Mercurium, qui nuntius Iovis quasi protector omnium nuntiorum est:

Mercurius, Iovis qui nuntius perhibetur.

Et in Aeschyli Agamenonis narratione nuntii, postquam ille deos patriae salutavit, haec verba inveniuntur:

τόν τ' ἐμὸν τιμάορον
Ἑρμῆν, φίλον κήρυκα, κηρύκων σέβας.

Ceterum 'Iovis qui nuntius perhibetur' est *Διὸς ἄγγελος* in Eurip. Iphig. Aul. 1303:

Ἥρα θ' Ἑρμᾶς θ',
ὁ Διὸς ἄγγελος.

Electr. 461

Διὸς ἀγγέλῳ σὺν Ἑρμᾷ.

In versu 649 unus ex numero servorum Pamphili reversus salutat patriam hoc modo:

Salvete Athenae, quae nutrices Graeciae:
Erilis patria, salve; ut te video lubens.

Atque in tragoediis, exempli gratia in Sophoclis Electra, Aeschyli Agamemnone, hanc salutationem nobis non semel occurrere, non est cur adfirmemus. Sed etiam in comoediis, quae tragoedias secutae sunt, haec ratio usui erat poetis, nam in Menandri comoediae *Ἁλιέων* fragmento legimus:

Χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν ἀσπάζομαι,

ubi: te video lubens: simili modo expressum est. praeterea cf. anonymi comici fragm. (Mein. IV. 616):

Δέσποινα πόλεων, πότνι' Ἀθηναίων πόλις. ubi in '*δέσποινα πόλεων*' (scil. Graeciae) simile aliquid inest atque in verbis: quae nutrices Graeciae. Tractandi denique sunt huius fabulae versus 661 sqq., ubi Stichus et Sagarinus cum conserva Stephanio adparant symposium:

Euge, Sagarine, lepidissume:
fero convivam Dionusum mihique et tibi: quo in versu nihil inest nisi: adparemus symposium, Dionysum convivam adferam i. e. vinum, quod nobis dominus dono de-

dit. Atque hoc inde colligi potest, quod antea Stichus, priusquam in aedem ingreditur, dicit (647):

Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam.

Ergo Dionysus hoc loco est metonymia vini, quam non in Plauti officina fabricatam esse omnes concedunt. Neque enim Latinum nomen Bacchi 'Liber' usurpatur, ut in Curculionis v. 98:

salve, anime mi, lepos Liberi, ut veteris ego sum cupida (scil. vini.),

sed Graecum nomen *Διόνυσος*.

In Trinummi versibus 205 sqs., ubi Megaronides hominibus maledicit, qui omnia scire velint, quae scire non possint, legimus: Sciunt, quod Iuno fabulatust cum Iove, quocum conferre iubent interpretes Theocritum (Adon.):

πάντα γυναῖκες ἴσαντι καὶ ὡς Ζεὺς ἤγαγεθ' Ἥρην.

Megaronides hominibus omnibus, Theocritus feminis modo maledicit. Est sine dubio proverbium Graecum, quod Theocritus, si quidem fidem tribuimus carminis hypothesi: *παρέπλασε δὲ τὸ ποιημάτιον ἐκ τῶν παρὰ Σώφρονι θεωμένων τὰ Ἴσθμια*: sumpsit ex Sophrone, cuius mimos Platonem aemulatum esse atque Athenas portavisse Duris testis est apud Athenaeum. Itaque dubium esse non potest, quin illud proverbium Athenis notum fuerit temporibus novae comoediae, qua re factum est, ut illud Sophronis per comoedias Graecas in Plautum veniret [1]).

---

1) Theocritum Sophronem expressisse docet Otto Iahn in prolegomenis ad Persii satiras. atque Plautum alia similia proverbia ex Sophrone per comoedias Graecas accepisse apparere videtur ex nonnullis locis: cf. Pseudol. 107: ita supercilium salit, Theocrit 3, 37: ὀφθαλμὸς ἄλλεται. cf. Schneider de proverbiis Plautinis Terentianisque dissertat. Berol. 1878.

Aulular. III. 6, 28:	Theocrit. II. 89.
qui ossa atque pellis totus sum	..... αὐτὰ δὲ λοιπὰ
Captiv. 135:	ὀστί' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα.
ossa atque pellis sum, miser.	

Praecedit hic versus:

sciunt, quid in aurem rex reginae dixerit.

Invehitur Megaronides in eos, qui omnia se scire putant, et enumerat, quae illi se scire autument: primum quid singuli faciant, tum quid rex reginae, quid Iuppiter Iunoni dixerit, denique quid neque sit neque futurum sit, haec omnia sciunt. Atque hoc loco aut versus 207:

sciunt, quid in aurem rex reginae dixerit

est dittographia v. 208:

sciunt, quod Iuno fabulatast cum Iove

aut cuiusdam certi momenti, tertium non datur. Quantum ego quidem videre possum, habet ille versus quandam vim, atque cogitare potest aliquis de rege Persarum aut de rege in historia fabulari aut de certo quodam rege — Philemon enim Trinummi Graecae poeta Ἔμπορον fabulam conscripsit, cum Athenae in potestatem cuiusdam regis subactae erant, qua aetate vocabulum regis cuiusdam momenti erat, i. e. ab anno 293 usque ad a. 287 — aut quod ego probo atque confirmo de rege sacrorum. Nam ubi in Graecis scriptoribus rex cum regina coniunctus est, hoc ad neminem spectat nisi ad βασιλέα ἄρχοντα καὶ βασίλινναν eius uxorem, quae sacerdos Dionysi cum viro deum colere debebat cf. Demosth. c. Neaer. 73. Hesych. s. v. γάμος. Quamquam βασιλεὺς sacro ipsi interesse non potuit, tamen cum esset ἄρχων βασιλεύς i. e. rex omnium sacerdotum atque γεραιρὰς adiutrices uxoris ad sacrum instituendum constitueret (cf. Hesych. s. v. Etymol. Mag. s. v. γεραιραί. Polluc. VIII. 108), eum βασιλίννῃ edixisse, quid facere necesse esset, statuere non eget veritate atque ve-

---

Et per comoedias novae rivulos accepit Plautus et alias sententias argutas vetustorum poetarum, quae quasi in proverbium abierunt, sicut

Hesiodeum: νήπιος ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει.

cf. Pseudol. 685: certa amittimus, dum incerta petimus.

Hipponecteum: δυ' ἡμέραι γυναικός εἰσιν ἥδισται, ὅταν γαμῇ τίς κἀκφέρῃ.

cf. Aulul. 154: quae cras veniat, perendie foras feratur (sil. uxor.);

Pindaricum: νῦν ἔλπομαι μὲν, ἐν θεῷ γε μὰν τέλος

cf. Bacchid. 144: sperat quidem animus, quo eveniat dis in manibus.

risimilitudine; adde quod haec omnia mysteriis obscurata erant, — quod ex loco Plautino quoque sumpsi, ubi scribitur: in aurem dixerit — ut fieri non posset, ut in publicum evaderet, quid dixisset βασιλεὺς βασιλίννῃ. Atque βασιλέως mentionem in nova comoedia indagavi, cf. Diphili Panegyris fragmentum:

τὴν πλατεῖάν σοι μόνον
ταύτην πεποίηκεν ὁ βασιλεύς, quo loco regem esse βασιλέα ἄρχοντα iam apparet ex titulo Πανηγύρει, quae ludis sacralibus erat. Quam interpretationem si accipimus, quandam vim inesse in eo versu negare non possumus.

In versu denique 928 sycophanta interrogatus, ubi reliquerit dominum Charmidem, respondet:

Pol illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropia.

Nam sic scribere malo Ritschelio in praefation. p. LXIX editionis adhortante, cum alii lectionem codicum 'Rhadamantem in Cecropia insula' mutent in 'Rhadamam in Cecropia insula'. Quid hoc loco mentio Rhadamantis respiciat, facile est intellectu, nam insula vel regnum illius regis magis excogitata est quam ut re vera inveniri possit in hoc orbe terrarum; est re vera terra fabulosa, ubi homines felicissima conditione vitae usi post mortem vivunt. cf. Od. Δ 564:

ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς,
τῇ περ ῥηίστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν.

Itaque sycophanta, qui in tota scena hyperbolice locutus est (cf. quod dicit se in coelum escendisse v. 940 sqq.) perbene gloriari potuit, se ibi dominum reliquisse, ubi nemo mortalis umquam fuit, in beatissima terra, in Elysio; atque Rhadamantis mentio exstat etiam in fragmentis comoediae cf. Mein. II. 802, 4. Haec quidem perspici possunt et leviora sunt, sed in hac re haereo, quod Rhadamantis regio aut Cecropia aut Cercopia insula nominatur. Nam quomodo Cecropia insula i. e. Attica terra coniungi possit cum Rhadamante, fratre Minois regis, qui erat in insula Creta, intellegere non possum. Atque quid sibi velit Cercopia insula,

eget interpretatione; unum quidem certum videtur esse, Cercopes, dolosos homunculos Herculem aggredientes ab eo vinctos, deinde autem propter iocos demissos esse; tum vero cercopes simiae sunt, ut insula Cercopia sit regio simiarum; atque nihil aliud efficitur nisi ut fabulosus rex inveniatur in terra fabulosa, atque insula Cercopia nihil est nisi „Schwindelland" nostra lingua. Sed valde lugeo, quod hanc rem ad certum finem perducere non possum, sed egeo omni fundamento, sine quo nihil certi evincemus, quamquam dubium non est, quin tota res recurrat ad Graecum fontem.

In Truculenti, ad quam nunc accedimus, exstat locus, qui eget interpretatione. In versu enim 515 miles domum reversus meretricem, quam decimo ante mense gravidam reliquerat, sic salutat:

Mars [1]) peregre adveniens salutat Nerienen uxorem suam.

Atque Nerienem sive Neriam deam Martis coniugem esse satis eis, quae propter hunc ipsum Plauti locum congessit Gellius XIII, 23. declaratur, cf. praeterea Prelleri Myth. Rom. p. 342 [3]. Hanc Nerienen posuit Plautus pro Aphrodite in Graeca fabula, cum illa aetate nondum Latina numina eadem essent atque Graeca; deinde autem poeta ex Graeca comoedia vertit et pro Aphrodite, quae cum Marte nominabatur, posuit Martis coniugem, quamquam illa minime apta est ad eam significandam. Sed vide, quanto aptius meretrix cum Venere coniungatur quam cum matrimonii dea. Atque exstant duo alia exempla, quibus satis demonstretur poetam Umbrum Romanos deos pro Graecorum numinibus inseruisse. Atque primum quidem in prima scena actus tertii Terentianae comoediae Andriae Glycerium haec verba facit: Iuno Lucina fer opem, serva me, te opsecro; ad quem versum Donatus in

1) Miles gloriosus non semel cum Marte comparatur, quod evincitur ex prima scena Militis gloriosi, quae etiam ei rei est testimonio, illum Martem eundem esse atque Arem Graecorum, nam totam scenam in Graeca officina fabricatam esse omnes concedunt propter familiaritatem cum Aristoph. vesp. atque Plut. scena prima.

commentario adnotat: hoc extra etiam hanc potestatem Iunoni tribuitur, quamquam illam Menander Dianam appellat. Qua re luce clarius fit, Terentium pro Graecorum Diana Iunonem Romanorum posuisse. Quid? quod etiam Plautus exeunte comoedia Aulularia virginem loquentem facit: Iuno Lucina tuam fidem! Nonne tum fas est, concludere, cum sciamus Plautum Graecos imitatum esse eorumque comoedias transtulisse, et hoc loco verba Graeci poetae modo ita mutata esse a Plauto, ut pro Graecorum Diana Romanorum Iuno supponeretur? Deinde in comoediae Casinae actus I scena 3 Stalino senex, quod ab uxore captus est, optat, ut myropolas, a quibus unguentum accepit, bonus Mercurius perdat; quam sententiam ex Graeco fonte haustam, apparet ex Graeco vocabulo myropolae; itaque illi myropolae ἐν ἀγορᾷ fuerunt atque deus ille, cui nomen boni Mercurii inditum est, debet esse custos, ut ita dicam, fori, qui non solum mercatores tueatur, sed etiam alios homines, ne in foro a mercatoribus offendantur. Atque Stalinonem hac in scena a myropola damnum accepisse, luce clarius est, quam ob rem ille Mercurium invocat. Quae cum ita sint, hoc quoque loco Plautus pro Graeco numine Romanorum deum posuit, nam omnia quaecunque de deo hac in scena dicta sunt, ad neminem referri possunt nisi ad Ἑρμῆν ἀγοραῖον. Sed fortasse dixerit aliquis etiam Romanos Hermen coluisse; recte id quidem, sed apud Romanos est Mercurius deus mercatorum, non totius fori neque templum neque sacrum in foro habet, sed ad Circum maximum et ante portam Capenam. cf. Liv. II. 21., Ovid. fast. V. 673. Ergo Mercurii nomen non quadrat in hanc rem atque tota scena perspici non potest nisi Ἑρμῇ ἀγοραίῳ posito pro bono Mercurio.

Percensuimus omnes res quae spectant ad historiam fabularem in fabulis Plautinis: vidimus nihil sapere colorem Romanum praeter illos locos, ubi Herculis decimae partes nominantur (Stich. 385. Trucul. 561. Mostell. 984). vel mentio Nerienae deae invenitur (Trucul. 515), de qua iam supra diximus. Atque omnia paratragodumena, ut ita dicam, quae

pertractavimus, si omittas metonymiae usum, dividi possunt in partes duas, quarum altera continetur rebus ex Homero sumptis, altera amplectitur res ex tragoediis vel aliis fabulis deductas. Atque res ex tragoediis sumptae vel in tragoediis ipsis vel in comoediis simili modo usurpatae certe ad Graecum fontem i. e. ad novam comoediam redeunt. Neque magis quae ex Homerica poesi fluxerunt, in Plautina officina fabricata esse verisimile est, quia tam accurate percipiunt Iliadis fabulas, ut magis e Graeci poetae ingenio emanasse, qui illud Graecum carmen bene noverat, quam ex Latini poetae indole effluxisse videantur, qui Iliadem tantum a Graecis accipere potuit.

Demonstravimus igitur, in historia fabulari Plautum Graeco colore pinxisse, corollarii instar addam nonnullas alias res, ex quibus colligitur, quantopere totus Plautus pendeat ex exemplarium Graecorum fide, atque abhorreat a saeculi sui et urbis Romae moribus atque institutis. Est enim tam presso pede sectatus auctores suos, ut nulla fiat mentio pecuniae Romanae in comoediis, sed ubicunque fiunt verba de nummis, semper respiciatur argentum Graecorum, sicut ostendit Christ in Iahni anal. 97 pg. 345. Deinde quod minime admirationem movere potest, quoniam cohaeret cum toto fabularum argumento Graeco, domus quam vidimus in comoediis, non Romae exstructa est, sed Athenis vel in alia urbe Graeciae. An tu censes casu factum esse, ut etiamsi nominatur atriensis servus saepius quam semel, nulla inveniatur mentio a t r i i, Romanae domus partis primariae? [1]) Insunt vero in aedibus

1) Ne quid omisisse videar, in Aulul. 518:

stant phylacistae in atriis,

habemus mentionem atriis,sed quantum ego videre possum, huic loco non fides tribuenda est, nam aperta retractationis vestigia prae se fert tota illa scena. et ad illos versus variorum temporum homines contribuisse videntur, quod unus quisque intellegit, qui hanc scenam perlegerit. Ille vero versus, quo continetur atrii mentio, propterea quoque dignus est, qui reiciatur, quod una cum antecedenti et insequenti turpat connexum sententiarum, qualem poscunt versus 520 sqq.:

Ducuntur, datur aes: absolutos censeas eqs.

gynaecea (Mostell. 755. 756. 759. 908), habemus balneas (Mostell. 756.), porticum (Mostell. 756. 908.), hortum post domum situm (Mostell. 1045. Stich. 452. 437. 614. Asin. 741. Mil. glor. 340. 378. Merc. 998. Casin. 503. Trucul. 222. Epid. 649. Pers. 444). Deinde vide, quaeso, aedes obserari clave Laconica (Mostell. 404.) atque parietes ornatas esse tabulis pictis (Mostell. 832. Menaech. 147. Merc. 311. Epid. 616.), quamobrem Helbig (Untersuchungen über die pomp. Wandmalerei pg. 320) et Nissen (stud. pomp. pg. 650.) erraverunt, qui ex his locis Plautinis collegerunt, picturas parietum iam Plauti aetate Romae usurpatas esse, cum potius Menandri saeculo Athenis hanc luxuriae speciem cultam esse Plautinis testimoniis confirmetur.

Atque etiam si locos, ubi impluvium describitur (Amph. 1108. Mil. glor. 159. 175. 287. 553), accurate interpretatus eris, dubium non erit, quin concedas illo loco, ubi impluvium nominatur, Graecum peristylion describi, atque Plautum vocabulo impluvii significasse eam aedium partem, quae est in Graeca domu sub caelo. An re vera quisquam, qui est in tecto, per impluvium videre potuit, quid ageretur in conclavibus, quae sunt circum atrium? Quantum ego videre possum, hoc perfacile est ei qui est in peristylii tecto, difficillimum ei qui est in tecto atrii, quod iam tota impluvii constructione postulatur. Sed de hac re non amplius agam: si dis placet, alio loco data opera haec omnia expositurus sum, quae iam dudum indagavi atque adnotavi.

Verum silentio praeterire non possum illud fragmentum Plautinae comoediae Boeotiae apud Gellium servatum, ubi parasitus eum accusat, qui primus solarium statuit (III. 3, 5)

Ut illum di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus statuit hic solarium.
. . . Itaque adeo iam oppletum oppidum est solariis,
Maior pars populi aridi reptant fame.

Denique phylacistae illi omnes sunt, qui petant argentum i. e. fullones aliique, neque vero nominari possunt praeter textores, fullones, linanos. Ergo hic locus nihil ad rem.

qui versus ad quem spectent, dubitari potest. Et quamquam Gellio duce, cuius auctor M. Varro est, hi versus sapiunt rationem Plautinam, tamen diiudicandum est, utrum in Plauti officina frabricati an tantum ex Graeca fabula translati sint. Quantum ego videre possum, iam in Graeco exemplari scripti legebantur, nam primum quidem parasitus eum non accusat, qui Romae primus solarium statuit, sed eum, qui solarium efficiens horas repperit, quem non fuisse Romanum iam inde intelligitur, quod Massalam consulem bello Punico primo ex Graeca urbe in Sicilia solarium deportavisse, minime autem invenisse M. Varro apud Plinium testis est. Deinde autem quamquam iam anno 491 a. u. c. illud solarium Romae fuit, tamen minus egregie factum vel aptum esse videbatur, neque enim congruebant eius lineae ad horas, quamobrem minime verisimile est, oppidum solariis id genus oppletum esse. Quid? quod Varro dicit demum anno 590 Plauto mortuo Q. Marcium Philippum diligentius ordinatum posuisse. Accedit quod illa mentio facta est a persona comoediarum Graecarum in comoedia, cuius titulus est ut Andria apud Terentium Graecae originis. Ergo omnibus his rebus non neglectis hi versus, quos in Plauti comoedia Varrone praecedente fuisse, non a Plauto respiciente instituta suae aetatis factos esse nemo dubitabit, debent tribui Graeco exemplari. Ad quem haec verba spectent difficile est dictu, sed sicut minime volo, eis respici Anaximenem, quem primum solarium statuisse tradunt, ita puto non temeritatis esse, ea referre ad Metonem, qui vir mathematicus anno 432 Athenis solario nixus annorum rationem fecit.

Sed summi momenti est, quod omnia quaecunque ad rerum gestarum et institutorum civilium memoriam spectant, nonnullis locis exceptis sunt Graecae originis. Quamvis mentio bacchanalium (Mil. 857), gentis Papiriae (frag. Foeneratr. apud Diomed.), poetae Naevii (Mil. 210), populorum Boium et Campanorum (Capt. 888. Trinum. 545) reperiatur, tamen simili modo atque in historia fabulari reliqua nomina sunt Graeca, quaecunque nobis occurrunt, atque respiciunt vel

aetatem novae comoediae vel quae antea est, cum nuper Buechelerus mentionem Poticiorum gentis in Bacchid. v. 123 felici acu radicitus suo iure deleverit. Habemus enim in fabulis mentionem Agathoclis (Men. II. 3, 58), regis Philippi (Pers. 339), Alexandri magni una cum Agathocle (Mostell. 775), regum Philippi et Darii (Aulul. 86), Seleucis (Mil. glor. 74), Demetrii (Pseud. 912), Hieronis (Men. 410), Solonis (Asin. III. 3, 9), Socratis (Pseudol. 465), Thaletis (Cap. 244), Jasonis (Pseudol. 193), qui sine dubio tyrannus urbis Pherarum fuit saeculo quarto clarus propter divitias, errant igitur, qui pro codicum lectione inserant Jasionem, propterea quod illo loco Ballio magnam frumenti copiam habere dicitur et Jasion in mythologia coniungitur cum Cerere, dea frumenti et segetum; sed hanc falsam esse viam interpretationis iam inde apparet, quod in illo versu Plautino Iason „rex" nominatur et Iasion numquam rex est. Deinde cogitemus velim mentionem ἀνδρὸς πολιτικοῦ Lycurgi (Bacch. 111) quem Brachmannus in altero dissertationis excursu, ni fallor ioci causa, exposuit non illum oratorem clarissimum esse, quod Meierus l. l. voluit, verum illum Thracium regem iam in Capt. v. 562 nominatum, cum Romani illum oratorem Lycurgum non cognovissent. Sed primum quidem interpretatio illius loci bene quadrat in Lycurgum oratorem, deinde autem saepius quam semel adnotat Plautus homines Romanis valde ignotas. An re vera perspexerunt Romani, quis esset Clinia vel Demetrius in illo Bacch. 911 versu:

Satin est, si plura ex me audiet hodie mala
Quam audivit umquam Clinia ex Demetrio?

Praeterea Stratonici mentionem, quam reperimus in Rud. v. 932, testimonio est, Plautum Romanis non notas personas ex Graecae comoedia transtulisse. Quam Stratonici mentionem viri docti adhuc non penetraverunt, nam Meierus l. l. alios Plauti interpretes secutus dicit, Stratonicum fuisse utrique et Philippo et Alexandro magno quaestorem, cuius divitiae apud Graecos non aliter atque Crassi apud Romanos in proverbium abierunt. Sed quamvis dedita opera in hanc rem

inquisiverim, tamen quaestorem Stratonicum ut indagarem, mihi non contigit. Neque vero loco Plautino agitur de quaestore neque de divitiis, erraverunt in hac re viri docti; verba Gripi sunt haecce:

Post animi causa mihi navem faciam atque imitabor Stratonicum,
Oppida circumvectitabor. Ubi nobilitas mea erit clara.

Ergo Gripus dicit, Stratonicum animi causa sibi navem fecisse, et oppida circumvectatum esse atque multas urbes adiisse. Quem hominem inveniri posse persuasum habeo, nam in Athenaei libro VIII (348), ubi de citharista Stratonico verba fiuntur, Machon poeta comicus aetate novae comoediae, illum multas urbes adiisse narrat:

Στρατόνικος ἀπεδήμησεν εἰς Πέλλαν ποθ' —
Στρατόνικος εἰς Ἄβδηρ' ἀποδημήσας ποτέ —
Στρατόνικος ὁ κιθαρῳδὸς ὡς Βηρισάδην ἔπλευσεν —
Ἐν τῇ Κορίνθῳ παρεπεδήμησέν ποτε —
Στρατόνικος ὁ κιθαρῳδός —
Ἐπιδεικνυμένου πόθ', ὡς ἔοικεν ἐν Ἐφέσῳ . . . . .
παρὼν κατὰ τύχην ὁ Στρατόνικος.

tum ex aliis apud Athenaeum scriptoribus legimus:

Ἐν Τειχιοῦντι δὲ τῆς Μιλήτου μιγάδων, ὡς ἑώρα (scil. *Στρατόνικος*) —
Ἐν Μαρωνείᾳ δὲ συμπίνων τισὶν (scil. *Στρατόνικος*) —
Νικήσας δ' ἐν Σικυῶνι (scil. *Στρατόνικος*) —
Τοὺς δὲ Ῥοδίους ὁ αὐτὸς Στρατόνικος σπαταλῶνας καὶ θερμοπότας θεωρῶν. Possum multa alia ex illo Athenaei capite exempla adnotare, sed puto hisce iam ex rebus intelligi posse, illum Stratonicum multas urbes et visisse et clarum fuisse; atque istum citharistam etiam temporibus novae comoediae, aetate Diphili, cuius fabulam Plautus in Rudente verterat, fuisse inde apparet, quod *Φανίας φησὶ δὲ καὶ τελευτῆσαι αὐτὸν διὰ τὴν ἐν τῷ γελοίῳ παῤῥησίαν ὑπὸ Νικοκλέους, τοῦ Κυπρίων βασιλέως φάρμακον πίοντα διὰ τό σκώπτειν αὐτοῦ τοὺς υἱούς.* Est autem Nicocles rex ille Cypriorum ex Isocrateis orationibus notissimus. Ergo fuit ille Stratonicus aetate novae co-

moediae quoque clarus propter artem suam, quam multis in urbibus exercuit, atque aut valde erro aut in eum perbene quadrat locus Plautinus.

Quae adhuc disputavimus paene omnia nonnullis exceptis pertinent ad historiam Graecorum neque rerum a Romanis gestarum in illis comoediis ullum vestigium. Nam quod de Poenis legimus in Cistellaria fabula:

ut vobis victi Poeni poenas sufferant;

id nihil ad rem, nam me iudice Ritschelius (cf. opuscul II. pg. 739) recte demonstravit hanc totam fabulam dilaceratam atque disiectam esse, et illam scenam, in qua hoc de Poenis scriptum est, indicia interpolationis prae se ferre. Restant duo loci, qui ad res gestas Plauti coaevas videantur spectare. In Poenulo enim (v. 655) dicunt advocati, peregrinum fuisse latronem in Sparta apud regem Attalum:

nam hic latro in Sparta fuit.
Ut quidem ipse dixit nobis, apud regem Attalum:
Inde huc aufugit, quoniam capitur oppidum.

Eum Attalum non fuisse regem Spartanorum, sed Pergamenorum prope Spartam moratum iam Meierus l. l. exposuit. Atque quantum ego videre possum, Attalus semel tantum in Graecia pugnavit teste Polybio (9, 30, 7) anno 544 a. u. c. Sed cum Polybius narret illo tempore regem Attalum mari bellum gessisse cum Nabide, hoc non quadrat in nostrum locum, quo Attalus pro Spartanis in ipsa urbe pugnat, — fuit enim latro Spartae apud Attalum, unde urbe capta aufugit —. Ergo de hac Attali pugna actum est. Num alio tempore in Graecia ille rex arma ceperit pro Spartanis, non scio, cum nihil de hac re invenire possim. Sparta Plauti aetate bis expugnata est 532 ab Antigono, 565 ab Philopoemene, sed si Attalus interfuisset illi priori expugnationi, id certe memoriae proditum esset; altera autem expugnatio facta est Attalo mortuo, atque Attalus II eo tempore nondum rex erat, ut Plautino loco postulatur. Ergo in Attalum I omnes res non quadrant, quam ob rem recurrere debemus ad alium Attalum, quem non flocci facere nos fas est, cum

sit post Plauti mortem. Nam suspicioni locus relictus est, an haec mentio Attali atque Spartae alii Poenulum retractanti poetae tribuenda sit. Atque re vera hoc nonnullis rebus confirmatur et probatur, nam habemus duplicem exitum fabulae (cf. Hasper. dissert. de duplici exitu Plautinae Poenuli Lips. 1868), atque Teuffelius in Mus. rhen. 1853 p. 36 nonnulla adnotavit, quae in Plautina comoedia vix ferri possent, praeterea autem in vs. 650—664 bis exponitur et peregrinum velle amare atque potare (v. 649 ubi nequam faciat — 652 potare, amare vult) et Lycum praedam habere (651 praeda haec mea est — 659 et bonam praedam datis — 662 rex sum) et peregrinum magnam auri vim habere (651 aurum habet — 660 trecentos nummos Philippi portat praesidi). Ego quidem persuasissimum habeo, hoc loco esse indicia retractationis, quod quamquam nondum satis dilucide comprobare possum, tamen spero, me evicisse, illam Attali mentionem non respicere Attalum primum, Plauti aequalem.

Atque alterum quoque locum, qui est in eadem scena, his rebus expositis me in suspicionem vocare, noli mirari. In versu enim 684 Collybiscus lenoni, cur hospitium liberum quaeritet, rogitanti respondet:

> Quia a muscis si mi hospitium quaererem
> Adveniens irem in carcerem recta via.
> Ego id quaero hospitium, ubi ego curer mollius,
> Quam regi Antiocho oculi curari solent.

Atque primum quidem oritur quaestio, quis fuerit ille Antiochus, cuius oculi perbene curari solent. Teuffelius l. l. refert haec ad Antiochum magnum: zu diesem Datum stimmt ferner die Erwähnung des Antiochus als noch lebend, da dieser erst 567 a. u. c. noch gar nicht alt den Tod fand. Sed quamvis dedita opera in omnes ad hasce res spectantes scriptores inquisiverim, mihi non contigit, ut quid evincerem de Antiochi oculis. Praeterea semper mirum esse debet, oculos summa luxuria vel summo ornatu coli, ergo iam ea re Teuffelii iudicium labefactum est; quod Goetzius quoque in editione Poenuli perspexisse videtur, cum pro oculis ex

coniectura inserat 'ocelli', qua in re ocelli eandem rem spectant atque amores. Quamquam negare non possum, hanc emendationem non egere veri specie, cum certe amores regis ornate et luxuriose colerentur, tamen intelligere nequeo, ad quem Antiochum hoc referendum sit, quamobrem interpretatio iterum haeret, quod vetat Goetzii coniecturam probare. Sed Muellerus, ut hiatus tolleretur, pro oculis coniecit 'eculei', quae coniectura valde mihi arridet; habemus enim regem Antiochum, in quem omnia illa coniectura accepta quadrant. Est ille Antiochus Epiphanes, quod cognomen a Polybio vertitur in Epimanen propter eius mores. Atque illum Antiochum multos et praeclarissimos equos habuisse, qui ei summae curae erant, colligas ex Granio Liciniano, qui dicit: et asturcone pompam ducebat; qui asturcones fuerunt excellentes equi, nam Plinius h. n. VIII, 67. 1 narrat: in eadem Hispania Gallaica gens est et Asturica. equini generis — hi sunt quos thieldones vocamus, minore forma appellatos asturcones, — gignunt quibus non volgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, unde equis tolutim capere incursus traditur arte. Habemus igitur interpretationem bene quadrantem, quamquam ea accepta statuere nos opus est, hos versus non a Plauto scriptos, nam ille Antiochus Epiphanes anno 579 a. u. c. regnum obtinuit, ut eum Plautus nominare aequalem non posset, ergo retractanti poetae tribuendi sunt. Quid? quod vs. 688—694 deletis connexus sententiarum minime perturbatur. Immo mea quidem sententia magis apte illum versum:

Hospitium te aiunt quaeritare — quaerito

insequuntur isti:

edepol ne illud tibi possum festivom dare. eqs.

quam ei:

id illi mi dixerunt, quei a me abierunt modo,

te quaeritare a muscis; cum id iam insit in antecedenti versu: hospitium te aiunt quaeritare. Ergo quantum ego videre possum, ne hoc quidem sapit Plauti aetatem.

Itaque cum haec omnia, quae exposuimus, iterum consideremus, paene nullum invenimus locum in rebus neque historicis neque privatis, quae pertineant ad aedes construendas, neque publicis, quibus argentum continetur, nullum, inquam, locum, qui ad Romanas res spectet. Quae cum ita sint, nonne concedere debemus in historia fabulari Graecorum Plautum ita versatum esse, ut non neglegens Graecum exemplar pressius illius exemplaris vestigia consequeretur, quam ut ei qui aderant, omnia penetraro et intelligere possent? Quod in tempus magis magisque a viris doctis fore ut perspiciatur et probetur spero semperque sperabo.

Vita.

Fridericus Wilhelmus Jacobus Ostermayer natus sum Norinbergae in urbe Bavariae a. d. IV. Id. Sept. a. h. s. LIX patre Wilhelmo, matre Katharina e gente Hilpert. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus Norinbergae et Monachii et Lipsiae puer decem annorum receptus sum inter discipulos scholae Krausianae Dresdensis. Vere anni 1874 transmigravi in gymnasium regium Dresdense, quod tum Ilbergio rectore florebat. Maturitatis testimonio instructus inde a vere anni 1879 usque ad annum 1881 Gryphiae, ab anno 1881 per bis sex menses Lipsiae, tum ab anno 1882 usque ad auctumnum anni 1883 iterum Gryphiae me dedi studiis philologicis. Docuerunt me vv. ill.: Kiessling, de Wilamowitz — Moellendorf, Susemihl, Preuner, Schuppe, Luetjohann, Seeck Gryphiswaldenses, Lipsienses Overbeck, Ribbeck, Lipsius, de Norden, Schreiber. Seminarii philologici Gryphiswaldensis per duo semestria sodalis fui extraordinarius, per duo ordinarius moderantibus Kiesslingio et de Wilamowitzio. Praeterea Lipsiae per bis sex menses fui sodalis ordinarius seminarii archaeologici et societatis Ritchelianae Overbeckio et Ribbeckio moderantibus. Tum interesse mihi licuit exercitationibus aristotelicis et platonicis a Susemihlio, metricis privatissime a Wilamowitzio, archaelogicis a Preunero et Schreibero institutis.

Aestate anni 1883 examine quod dicunt rigoroso superato Dresdam me contuli, qua in urbe Georgii Treu exercitationibus archaeologicis operam dedi.

Quibus omnibus, quos nominavi, viris doctissimis, imprimis de Wilamowitzio maximeque A. Kiesslingio, qui me tironem in litteris benignissime inter discipulos suos recepit, aluit, auxit, gratias quam possum ex animo maximas ago.

Sententiae controversae:

I. Plauti Captivorum vs. 803—820 retractanti fabulam poetae tribuendos esse censeo.

II. Versus, quibus agitur de chorago seu choragio in comoediis Plautinis (Pers. 159. Trin. 857 Capt. 59) spurii sunt.

III. Errat Ribbeckius, qui in rh. Mus. XXXVII, 54 Asinariae vs. 946, 947 ad coercitationem in historiones referendos esse censet.

IV. Non recte Ritschelius in parg. pg. 145 de Caecilio Statio iudicat, quem primo Plautum secutum, deinde Terentii vestigiis institisse apparere dicit ex eius et latine et graece scriptis comoediarum titulis.

V. Euripid. Iph. Taur. (ed. Kirchhoff. mai.) v. 341 spurius.

VI. Vasculorum pictor, qui dimissionem Bellerophontis fecerat, non Euripidem, sed Homerum respicit; ergo illa femina non Stheneboea, sed Antea nominanda est (cf. Mon. d. Inst. 1849, tab. XXI).

VII. Vasorum pictores exhibentium Bellerophontem Chimaeram depugnantem non solum ad unum fontem litterarium recurrunt, sed etiam eundem statuarium excerpunt.

VIII. Calpurnii eclog. VII, 41, 42 sic interpungo:

qui nescius auri
sordida tecta, casas et sola mapalia nosti.

Jenae, typis H. Pohle.